

IANI DOVSÆ NORDOVICIS CENTVRIONATVS,

SIVE

PLAVTINARVM EXPLANATIONVM LIBRI IV.

In quibus præter PLAVTVM, *multa veterum ſcriptorum loca,* POETARVM *inprimis, variè corriguntur, illuſtrantur, explicantur.*







LVGDVNI BATAVORVM.
Ex OFFICINA PLANTINIANA
Apud Franciſcum Raphelengium.
CIƆ IƆ LXXXVII.

Ex legato Jo[illegible] Cocini



At tu cum Musis Phœbe, & cum Matre Cupido,
Tuq; hederâ vinctus, COME *iocose, comam,*
(Sic semper croceis madeant tua pulpita nimbis,
Sic veniat Genio nulla senecta tuo)
Huc agedum vestrum pariter nostrumq; ROGERTEM
Ducite, vt his sese lusibus exhilaret.
Tunc ego crediderim vobis, quoscunque dolores
Sollicitis hominum demere pectoribus.





IN IANI DOVSÆ CENTVRIONATVM PLAVTINVM ADRIANVS BVRCHIVS.

Svnt alij, qui Plautinos numerosq́; saleśq́;
Innumeris mendis, quibus hos fœdauerat ætas,
Purgauere, bonóque operam impendère labori.
Sunt & qui facilem per commentaria multa
Scriptorem multo studio sunt reddere nisi:
At loca multa tamen vel non tetigere, vel vngue
Percurrêre leui. Nunc DOVSA *polygraphus, arte*
Ingenioq́; valens, cui turba nouena sororum
Castalidum blandè ridens alludit alumno,
Admouit digitos, nihil intactumq́; reliquit;
Sed maculas dextrè & næuos feliciter omnes
Abstulit, vsq́; adeò vt toto iam corpore mundum
Auctorem exhibeat, priscoq́; colore nitentem.
Multa quoque insigni limâ planauit in vsum
Plautophilων; hi dant gratanti murmure plausum.
Macte animo ingenioq́; isto, doctissime DOVSA,
Egregio properans porrò indulgere labori,
Promeritamq́; tuo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulli donarunt præmia Musæ.
Sic erit, vt pulchrè rediuiuis pristina seclis
Florescant opera, & redeat sua gloria Scenæ.

IN PLAV-

IN PLAVTVM
V. NOBIL. IANI DOVSÆ
operâ emendatum, Iani Gruteri
Carmen Elicium.

Gaudete Aonidesq́ue, Gratiæq́ue,
Et quantũ eſt virûm vbiq; cultiorum.
In lucis redit ecce PLAVTVS oras;
PLAVTVS, quem tineæq́ue araneiq;
Dudũ ergaſtulo in improbè maligno
Catelloque ſituque manciparant.
DOVSÆ at vindiciis ſagacioris
Priſtinum aſſeritur modò in ſuum ius.
Videtíſne, vt vtrique olor Diones
Alæ remigio potente plaudat?
Videtíſne, Iuuenta vt impedita
Frontem perpetui viroris berbâ
Viarum reſeret moras, humiq́ue
Crocum quà graditur roſaſq́; ſpargat?
Videtíſne, columbulorum vt agmen
Roſtro atq; vngue ferant ſuäueolẽtes
Arboris Cythereidos corollas,
Ac iis grauiter hũc & hũc obumbrẽt?
Ha quid? nũ comitãte Amore magno
Cæterâque Cupidinum phalange,
It aduorſum etiam Venus duobus,
Et nunc baſia dat trecenta MARCO?

Et nunc

Et nunc basia dat trecenta I A N O ?
Sic sane est. labio, excere, vtriusque
Vt sensim immoriatur, impotente
Præque gaudio amœnus ex ocellis
Ipsi depluat imber; vsque quo omnes
Ambobus faciem lauant lepores,
Absterguntque suis deinde plumis?
Et vos Aonidesque, Gratiæque,
Quantumq; est virûm vbiq; cultiorũ,
Immoto hæc pede quitis intueri?
Quin ite ipsi etiã obuiã, huncq; & illũ
Salutate animo lubente & ore;
Reginæ meritissimoque Cypri
Gratulamini. Enim illa, Sarsinate
Perdito, cruciauit haud secus se
Ægritudine, quàm si Adonis alter
Interemptus Apri furente dente,
Siq; tantulum adhuc modò irrepertus
Mansisset, lepidissima illa Diua
In totum occiderat; simulq; cum ipsâ
Lusus, Blanditiæ, Ioci Lepores.
Quod si vos quoq; non ruina raptim
Traxisset similis, die atque nocte
In luctu in lachrymis tamen fuisset
Vobis Aonidesque, Gratiæque,
Et quantũ est virûm vbiq; cultiorum,
Ætatem miserè terenda vita,

AD LECTOREM.
In PLAVTVM Nobiliss. & doctiss. viri IANI DOVSÆ operâ restitutum.

PLAVTVS *Latinas fecerat Comœdias*
Plenas lepore, & omnibus faceiiis,
Quas magna sæpe Roma terrarum caput
Spectauit effusis soluta risibus.
AEtas, sed heu, sæclis iniqua posteris
Reliquit arrosas malignis dentibus:
Venus iocosa, risus omnis & lepos
Tristi iacebant obuoluti puluere.
Quin illa quondam maximo Quiritium
Plausu Comœdia acta squallebat situ,
Induta vultum flebilis Tragœdiæ.
O dura sors! Quid non edax tempus potest?
Comœdiam mutarat in Tragœdiam.
Nunc ecce DOVSA *seculorum iniurias*
Vlturus, acrioris ingenI face
Densis tenebris Accium reconditum
Illustrat ipse maior aut par ACCIO.
Cedit vetustas victa, succedit vetus
Splendor, iocusq; & omnis elegantia,
Togata, palliata, Gratiis comes.
O læta sors! quid DOVSA *vates non potest?*
Tragœdiam mutauit in Comœdiam.
Agnosce Lector. hanc prior PLAVTVS *dedit:*
Nunc illā & hancce DOVSA *. plus debes utri?*

Georgius Benedicti Harl.

IN IANI DOVSÆ

PLAVTINAM RESTITVtionem Epigramma.

Planxerat Eurydicen tendisse ad tartara coniunx,
Scilicet & solido stare adamante vias.
Planxerat: at citharā plectro vt tentauit eburno,
Vxorem vati restituere Deæ.
Sed misero, Stygij violatâ lege Tyranni,
Excidit è manibus coniugis vmbra suæ.
PLAVTVM *etiā passim cariosa admorderat ætas*
Dente malo, Tytias ceu pateretur aues:
Thessalicis valuere iugis nil gramina lecta:
Profuit auctori nil medicina suo:
DOVSA *lyrâ elicuit, Phœbæo pollice, cantum,*
Carmináque Orphæis æmula pectinibus.
Protinus Eumenides (ô quantū carmina possunt!)
Demulsit, Stygium perdomuitq; Canem,
VMBRIQVE *exciuit manes, vmbrámque latentem*
Ex Acherontæis eripuit latebris.
O quantum Orphæis præstant tua carmina DOVSA,
In quæ nil diri iura valent Erebi?

Fr. Bredius.

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HOC CENTVRIONATV MEMORABILIVM.

Alter

Brissonij

** *Concha*

D.

Dionysij

E.

F.

Hira

I.

K.

Luſtratio

Nupitæ

Quan-

Sedere

T.

Tamen

V.

Volens

ERRATA.

Pag. 56. lin. 26. *factum*, emenda: *factura.* pag. 82. lin. 2. *vbique* leg. *vtique.* Ibid. lin. 15. *actu* em. *astu.* pag. 87. lin. 21. *aliquando* em. *aliquanto.* pag. 231. lin. 7. *societatem* corrige: *satietatem.* pag. 300. *ea ipsa* cor. *ea ipsa.*

LOCA AVCTORVM, QVÆ IN HOC CENTVRIONATV AVT ILLVSTRANTVR AVT EMENDANTVR.

Lucillius

IANI

IANI DOVSÆ NORDOVICIS

CENTVRIONATVS, SIVE PLAVTINARVM EXPLANATIONVM LIBER I.

AD AMPHITRVONEM CAPVT I.

Prologus Amphitruonis saltuatim percursus; & ex eo quadam inlustrata, alia emendata. Architecto, onis. Fauitores. Cauitio.



MERCVRIO auspicabimur hoc Caput; cum bonâ spe, imò firmâ fiduciâ fore, vt si non lucris, at bonis certè nuntiis, & qui maximè in rem nostram communem, hoc est, Literariam sient, Deus iste DOVSAM aliquando

quando afficiat ſuum. Ait igitur προλογιζόμενος ille à ſuapte primùm & (quæ ratio eſt maxima) Iouis patris perſonâ Plautinam Amphitruonem Quiritibus haud tralaticiè cõmendans

Vt vos in voſtris voltis mercimoniis
Emundis, vendundisq; me lætum lucris
Afficere, &c. Doctè (Iuppiter) ac Mercurialem in modum planiſſimè: ſed verò *Lætum* iſtud parum nobis herculè lætũ videtur: niſi quòd promptum prothymumque, ſeu volentem propitium potius, hoc eſt, bono publico lubentem, ac lætificantem Quirites ſuos, animum Mercurij intelligere poſſumus, ab effectu ſcilicet.

Et vt res rationeſq; veſtrorum omnium
Bene expedire voltis. Huc pertinet illud è Pœnulo: *Is explicaui meam rem poſtillà lucro.* Niſi ſi quis *Explicaui* ibi pro *Extendi*, & quaſi Dilataui, hoc eſt, ampliaui atque auxi dictum deputet.

Scenâ: *Suſpendũt omnes.*

Hæc vt me voltis approbare, annitier,
Lucrũ vt perenne vobis ſemper ſuppetat, &c.

Artificiosè concludit aliquando inchoätam prius obteſtationem Mercurius; tribuſq. ferè verbis complectitur,

quæ

quæ pluribus amplificata persequutus fuerat modò. ne pendeat videlicet, longioris Hyperbati vitio, iam inde à principio deducta, porroq. ad sextum ac decimum vsque Senarium per ambages Poëticas perpeti serie & quasi protelo continuata sententia. Eadem pænè repetitio apud Catullum nostrum, cuius locum (quò res omnis planior ac facilior fiat) integrum haud grauabimur adscribere:

Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis (si tibi Dî fauent) diebus,
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cœnam non sine candidâ puellâ,
Et vino, & sale, & omnibus cachinnis:
Hæc si inquam attuleris Fabulle noster,
Cœnabis bene, &c.

Pergamus porrò Comicotragœdiantem auscultare Mercurium:

Etenim ille, cuius iussu huc venio, Iuppiter,
Non minus quàm vostrûm quiuis formidat malum,
Humana matre natus, humano patre,
Mirari non est æquum, sibi si prætimet.
Atque ego quoque etiam, qui Iouis sum filius,
Contagione meæ matris metuo malum.

Malum, vtrobique *seruiles pœnas* interpretor; *vlmos* putâ, *stimulos, laminas, crucesq;*
compedésque,
Neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas,
boias,

ac cætera de genere horum passim obuia in hoc Comico. neque id mirum adeò cuipiam videri volo: vterq. enim, Iuppiter inquam ac Mercurius iste sine Genio ac gente; nullisq; potius, quàm humanis parentibus sati editique: quippe serui, ne dicam, capite diminuti; quibus, iure ciuili, cognationis ius nullum, nulla sanguinis necessitudo. neque aliorsum trahenda ioci istiusce festiuitas. Ab hoc enim plagigero hominum genere rem ferè Scenicam, siue Histrionicam tractari ac frequentari consueuisse antiquitus, abundè argumẽto fuerit, nobis locus iste Senecæ Epist. 81. qui viam mihi ad huius coniecturæ fulcimentum communiuit primitus: *Ille qui in Scena elatus incedit, & hæc resupinus dicit:*

Imperito Argis, regna mihi liquit Pelops,
Qua ponto ab Helles atque ab Ionio mari
Vrgetur Isthmos. *seruus est quinque*
modios

modios accipit & quinque denarios. Hactenus Seneca. vnde haud absurdè Petronius: *Grex agit in Scena Mimum,* &c. Quâ de re in Satyricum illum Præcidanea nostra, qui volet, consulito. *Gregis* enim nomine Ludionum iuxtà ac mancipiorum manipuli comprehenduntur, catastorũ præsertim ac venalitiorum,

Et quorum titulus per barbara colla pependit,
Cælati medio quùm saliere foro :

quos malam rem vtique, hoc est, virgidemiam assiduè plagasq́ue ac talifragium metuere sibi, imò cauere conuenit potius, siquidem vitales sese ac bonæ frugi perhiberi, herisq́ ex sententiâ inseruire postulent modò. vt fiat illud, quod de semet in Mostellariâ cautè cogitatè q́ue cum imperij herilis, tum officij sui memor prædicat Phaniscus his notis:

Serui qui cum culpa carent, tamen malum Act. IV. Scen. I.
Metuunt, hi solent esse heris vtibiles.
Nam illi qui nihil metuunt, postquã sunt malũ
Meriti, stulta sibi expetunt consilia.
Exercent sese ad cursuram, &c. quæ ibidem totâ illâ Scenâ leguntur, ad *Mala*

istiusce Rei, supplicij dico ac cruciatus seruilis explanationem cumprimis faciuntia. Neque aliter τὸ *Malum* in Hecyrâ Terentianâ accipiundum commonuit nos auctoritas Donati cui & hanc quoque ad Simonis illa ex Andriâ verba: *Propterea quod seruibas liberaliter:* suspicioni nostræ firmandæ interpretationem debemus: *Liberaliter, id est, bene, quia omne bonum libero aptum est, malum seruo.* Sed video fore, qui *Malum* hocce potius ad locum illum Cistellariæ referri oportere contendent; vbi *Gregem* istum *Scenicum*, hoc est, Seruolorum Histrioniam facientium chorum, *Caterua* Titulo honestum, supremam spectatoribus huiuscemodi verbis denunciantem inducit Comicus:

Ne exspectetis spectatores, dum illi huc ad vos eant.
Ne mo exibit, omnes intus conficient negotium.
Vbi id erit factum, ornamenta ponent. post id ea loci
Qui deliquit, vapulabit. qui non deliquit, bibet.

Gnarum enim, eos qui bene egerant Histriones secundùm actionem præmio affici, nec sine corollariis victores

discedere;

discedere; qui secus, multari ac vapulare solitos. Quæ sententia si cui abiserit impensius, ei verò pugnare ego, vel contentionis funem ducere haud postulo. Pax mihi tecum potius ô bone, *quisquis eris, cuiatis eris.* Etenim in re Comicâ paratragœdiare non est meum.

Aurea porrò Sententia illa. Videas è cælo descendisse Mercurij talaribus subuectam:

Nam iniusta à iustis impetrare non decet:
Iusta autem ab iniustis petere insipientia est.

Rectum est *Impetrare.* Sequitur enim *Petere,* non *Peti:* vt à Dionysio, ac Fruterio nostro hâc quidem in parte leniter ac leuiter dissentiamus.

Quæis benefactis meus pater,
Deûm regnator, architectus omnibus.

Hoc est: Quorum omnium beneficiorũ pater meus Iuppiter ille Opt. Max. auctor, dator, imò verò largitor atque opifex cluit; Datiuo pro generandi casu posito, more antiquis haud ignaro. Verbi gratiâ, apud Ciceronem in Oratore ex innominato veteri Poëtâ: *Qui est omnibu' princeps.* nec non Sallustium meum denique; de Clodio (id

quod nos expiſcatos primitus verè atque audacter poſſumus dicere) ità IV. Hiſtoriar. libro ſcribentem:

Et uxori eius frater erat.

Monet autem hoc loco nos Lambinus in nonnullis manuſcriptis ſuis repertum abs ſe, *Architector*. ex quo ipſe porrò *Architecton*, architectatus eſt nobis. Cæterùm non perſuadet. Credibilius enim ac probabilius Latinâ formatione vocem eam in Theatrum productam à Comico: quem ad hunc modum ſcriptitaſſe opinamur:

Architecto'ſt omnibus. *Architecto*, recto caſu, non *Architecton*, vt volt Interpres.

Teneo quid animi voſtri ſuper hac re ſiet. Similem pænè loquendi formam in *Ludicro illo Sergij Polenſis Teſtamento* reperias apud Georg. Fabriciū. ſic enim inibi:

Teneo iam vos riſum dare, Sitio: hui ſentio.

vbi τὸ *Hui*, Interiectionis notam eſſe haud obæsè ſanè videor ſubodoratus, quâ venaturam naribus facientis, hoc eſt, olfacientis Paraſiti geſtus exprimitur, & quidem poſthumus. Itaque poſt *Hui*, diſtinctio collocanda.

Reſtituo mox in Plauto:

Conqui-

Conquisitores, singula in subsellia
Eant per totam caueam, spectatoribus;
Si cui fauitores delegatos viderint,
Vt ab his in cauea pignus capiantur togæ:
Siue etiã qui ambissint palmã Histrionibus, etc.

Hinc, atque ex iis porrò quæ sequuntur, opertum illud apertum fit in Petronio: *Néve plausor in Scena*
Sedeat redemptus, Histrioniæ addictus.

Quibus illustrandis insuper accedat illa item Comica Histrici Imperatoris Edictio è Pœnulo:

Quodq; ad Ludorum curatores attinet,
Ne palma detur cuiquam artifici iniuriâ:
Néve ambitionis caussa extrudantur foras,
Quò deteriores anteponantur bonis.

& qui cumprimis tum Plauto, tum Petronio interpretandò facturus est Suetonius, locupletissimo illo de Nerone, planè Histrioniam exercente, testimonio: *Aduersarios quasi planè conditionis einsdem, obseruare, captare, infamare secretò nonnumquam, ex occursu maledictis incessere, ac si qui arte præcellerent, corrumpere etiam solebat.*

Fauitores porrò ibidem, non *Fautores*, rectè legi iam anteà obseruatum Lambino. Ab eâdem ratione *Cauitionem*, prò

Cautione veteres vſurpaſſe auctor eſt M. Terentius.

Similem rem ipſe in legem iuſsit eſſe Iuppiter,
Quaſi magiſtratum ſibi alteriue ambiuerint.

Nihil inquinatius: & quanto rectius Lipſius, ac Fruterius noſter? quorum hic, *Sirempſe lege*; alter interiecta Præpoſitione, *Sirempſe in lege*, principes reſcribendum curauere. idq; potiſſimum ex Feſto, qui *Sirempſ* interpretatur, *Similis res ipſa*. vt gloſſa in contextum obrepſerit. id quod pluries, credo, in Plauto perpetratum. Ego tamen Lipſio meo aſſentior; niſi quòd accuſandi potius quàm auferendi caſu Lectionem conſtitui malim, hoc modo: *Sirempſe in legem iuſsit*, &c. Atque eò mehercle confidentius, quò ad receptæ ſcripturæ ſimilitudinem propius hæc noſtra accedit. Nam de phraſi quid attinet iterare? cui ſimilem, ne dicam *ſirempſe* videas in Aſinariæ verbis illis: *Sed in leges meas dabo*, &c. *Scenâ: Vnum iſtorum.*

Quantuſq; amator ſiet, quod complacitum eſt ſemel,

Subaudiendum hoc loco, *Eius, quod complacitum eſt*; non vti Lambino complacitum,

citum, *In eo quod complacitum est semel*; aut Bosio: *Si quid complacitum est semel.* Sic enim plus millies credo alibi Poëta noster, vt vel in hoc ipso Prologo:

Cubat complexus (scilicet eam) *cuius cupiens maximè est.*

AD AMPHITRVONEM
CAPVT II.

Locorum aliquot obscuritates discussa. Offillare. Conuorti fugam in se. Pallium detexere. Vltrò, *pro* Procul. Vsufacere.

SO. QVI *me alter est audacior homo; aut qui me confidentior,*
Iuuentutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?

Magnum verò solidi atque impauidi animi argumentum, per infestas tenebras ac mediâ de nocte iter ingredi audere idque latere intecto, hoc est, solum ac sine comitatu aliquo; eum præsertim, cui iuuentutis mores experimento cogniti ac prouisi iam

iam antea. Hoc enim dicit Sosia: Est'ne verò insignita audacia hæc mea; qui quum sciam, *Quàm afflictentur homines noctu hîcin via* (vti idem loquitur Sticho) deprensi, vt fit, à proteruâ istâ ac passim vagabundâ perditissimorum iuuenum multitudine: quibus tenebrarum præsidio fretis.

Nox, ætas, vinumq; nihil moderabile suâdet; illud solum prò oblectamento habentibus sibi, obuios quosque, domuitionem parantes scilicet, vi de viâ ac gradu deiectum porrò ire ac deturbatum: simul, pedem struentes sibi pugnis contundere; restantesq; plagis malè ac verberibus mulcatos dimittere: prorsus; prætereuntes *sic quasi pilas habere*, ac tantum non Dentilegos omnes mortales facere, quemquè offenderint: ipse tamen solus atque incomitatus publico committere me audeam; nec plateas declinem; periculosè adeò imò perniciosè comissabundæ iuuentutis lasciuiâ, ne dicam grassaturâ infestas, idque de nocte, ita præsertim serâ atque intempestâ: sic enim (*Hoc noctis*) tàm hîc, quàm Curculione, potius

quàm

quàm cum Lambino & aliis, *Hoc noctis tempore,* interpretari lubido est nobis. id quod nos patrio idiomate diceremus: **So laet inden nacht.** [*compegerint.*

Quid faciam nunc, si Tresuiri me in carcerem

Ecce & hoc, erunt, qui controuersum facturi; quidnam homini seruo, præsertim alieno, cum Triumuiris capitalibus negotij? quam've adeò caussam Phylacistæ illi habituri denique, in carcerem compingendi Sosiam? an quòd tempore alienissimo fortasse, hoc est, de mediâ atq; intempestâ nocte (vt Phæcasiatus ille apud Petronium Eucolpius) conspiciatur ambulans in publico: ità vt prò grassatore nocturno, sicario putà, aut qui vecticulariam vitam colat, parietum perfossore inquio, à tesserariis seu excubiarum præfectis collo obtorto in neruũ aut robur abripi indẽnatus atq. intestatus possit, atq. inde porrò in carnificinam rectà:

Vbi viuos homines mortui incursant boues:

Itàque pendens caussam dicere cogatur aduorsus octo

Validos Lictores vlmeis affectos lentis virgis.

Opinor hercle seriò: neque enim aliud habeo

habeo quod dicam. & verò haud abſurdum ſit credere, ad ſolennem aliquam Populi Rom. Legem pertinere iocum iſtum ſeruilem, quâ fortaſſe cautum fuerit, ne cui homini noctis conticinio per Vrbis vicos, ſeu quaſcunque adeò viâs publicas iter facere liceret. id quod in ciuitatibus ritè & ordine conſtitutis ſtrictè etiamnum hodie coli atque obſeruari videmus, præſertim ſi quando ex vicino hoſtilis accedit metus, qui in concordiâ ac bonis artibus rerum nouarum cupientiſſimam retineat plebem. id quod de Rep. illâ Rom. prudenter non minus, quàm verè quo loco de Plautinis iſtis, ac Punici Belli ſecundi temporibus ſerium ſermonem ſerit Hiſtoricus noſter, quibus optimos ſanè mores ac ſanctiſſimas cumprimis Leges viguiſſe, idem nobis multo certiſſimus eſt autor. quas quum ſuâ ex parte perſonatus iſte in Scenâ migraret Soſia, alieno ac vetito tempore per vias noctuabundus incedēs ſcilicet; id quod Thebis, non Romæ in Comœdia accidiſſe aſſimulabatur, præter inſtituti rationem,

nem, à Palliati argumenti ſpatiis Comicâ quâdam licentiâ exorbitans, ad Togatam vtique ac præſentem ſui ſæculi conſuetudinem, riſus concitàndi gratiâ, non ſine Satyrico vrbanitatis ſale, vernilibuſque planè facetiis detorſit.

Ità peregrè aduenieñs hoſpitio publicitus accipiar. Sic, *In publico ſeruari*, dicebantur, qui in phylacâ, ſiue adeò cuſtodiâ publicâ attinebantur.

Noctes diesq; aſſiduo ſatis ſuperóq; eſt
Quo facto, aut dicto adeſt opus, quietus ne ſis.

Aſſiduo, pro locuplete, & facilè munus ſuum fungente interpretor ex Gellio, quem vide. id enim ſatius eſſe duco, quàm Dionyſio, reliquisq; Coniectoribus accedere, prò aduerbio nomen iſtud pariter accipientibus planiſſimè. Et verò explicat ſeipſum Comicus, qui Opulenti Domini ac diuitis mentionem præmiſerit anteà.

Ipſe dominus diues operis, & laboris expers.

Mira ſunt, niſi τὸ *Operis*, hoc loco, plurali auferendi caſu prò *Seruis*, ſiue *Operariis*, poſitum à Plauto. Sic enim *Operas*, ſumi ſolere, quis verò vſque

adeò

adeo literariæ humanitatis expers qui
Ser. lib. II Sat. VII. ignoret? Horatius certè:

Accedes opera agro nona Sabino.

Malé proinde à Lambino nata distinctio illa:

Ipse dominus diues, operis & laboris expers.

Pergit Plautus: *Aliquem hominem allegent, qui mî aduenienti os oscillet probe.* Quid si, *Oßillet*, vocabulum ab *Osse* potius quam ab *Ore* formatum rescribamus? id est, sic quasi ossatim, seu frustulatim totum porrò caput comminuat seu concipilet mihi.

Qui multa Thebano populo acerba obiecerunt funera.

Acerba hoc loco, prò crudis & immaturis, hoc est, ante diem in Libitinæ censum relatis, haud cunctãter accipio. Quid enim certius, quàm

Delectos iuuenes (*Thebanæ robora pubis*) vi hosticâ à perduellibus Thelebois cœsos atque interfectos: nec fato suo, sed violẽtâ & manufactâ morte Orci thesauro transcriptos Charonioque traditos, intelligi? quod genus (Iuuenes inquio) ad patranda bella scribi deligiq. potissimùm solere, vel Ouidianum illud

illud indicio abundè fuerit nobis; ex libro Amorum 1.

Quæ bello est habilis, Veneri quoque conuenit ætas:

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Ait porrò Comicus: *Vt gesserit rempublicam ductu, imperio, auspicio suo.* Simile huic de Metello illud Sallustij:

Vt sese & exercitum more maiorum gereret. id est, administraret: propriè nimirum atque ex Formulâ, cui respondet quoque Horatianum istuc: Epist. li. 1 Epistol. VIII.

Posthæc, vt valeat, quo pacto rem gerat, & se.

Progrediamur aliquanto vlterius:

Continuo Amphitruo delegit viros primorum principes,

Eos legat Telebois, iubet sententiam vt dicant suam.

In quo postremo versu (vt & ego sententiam meam in hoc Senatu Musico dicam liberè) nouam distinctionis rationem inducendam pronuncio, exemplo quod vides: *Eos legat, Telebois iubet sententiam vt dicant suam.* contra præiudicatâ Monstroliensis Censuræ opinionem; qui, *Legat Telebois*, prò, *Ad Teleboas Legatos mittit*, positum, in Commentarios retulit suos.

Nos nostras more nostro & modo instruximus
Legiones. Modo, arbitratu nostro interpretor, ad tautologiæ crimine liberandum Plautum: sed & Horatium quoque, sirempse prorsus exemplo in Lyricis suis concinentem:

Carm. lib. IV. Oda II.

——Ego, apis Matinæ More modoq;
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum. de. cuius principis item Poëtæ sententiâ, in illâ quoque Sosiæ nostri narratione:

Quisque vti steterat iacet, obtinetq; ordinem,
Vti, prò, *Vbi* positum, haud grauatim sanè à me impetrare posse videor, vt credam. Enim, quod ad sententiæ ipsius rationem attinet, eam verò à Sallustio quoque in Catilinariorum Militum virtute prædicandâ huiuscemodi Elogio adhibitam videor deprehendisse: *Sed, confecto prœlio, tum verò cerneres, quanta audacia, quantaq; animi vis fuisset in exercitu Catilinæ. Nam ferè, quem quisque viuus pugnando locum ceperat, eum, amissâ animâ, corpore tegebat.*

Quibus consentanea prorsus de exercitu Atheniensium Iustinus lib. IIX. sic vti ipsissima hæcce verba Trogo tantum

tantum nō præiuiſſe videri queat Salluſtius: *Non tamen immemores priſtinæ gloriæ cecidere, quippe aduerſis vulneribus omnes, loca quæ tuenda à ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt.* præſertim quum mox noſter ille ibidem ſubiungat protenus: *Omnes tamen aduerſis vulneribus conciderant.* Quam Claſſicæ notæ ſcriptorum inter ſe conlationem neque infructuoſam ſanè neq; iniucundam arbitror euenturam iis, quibus ad iſtiuſmodi ſcitamenta palatum aut pectus ſapit.

Sed fugam in ſe tamen nemo conuortitur.

Probo ex parte opinionem doctiſſimi Turnebi. Fugam in ſe nemo conuerſam inclinatamq. habet, exponentis; parte dico, nam omninò haud placet. in cauſſa eſt primitiuū Pronomen illud *Se:* quod quidem ego non *In ſemetipſum*, verùm potius, *In ſuos* dictum accipio. Quis enim obſecro ignorat, *Se* iſtud, tam multitudinis, quàm vnitatis numero paſſim ab ſcriptoribus vſurpari? Sed & *Eamus ad me*, apud Comicum noſtrum reperias non ſemel, pro, *Domum meam eamus. In ſe*, ergo idem erit, quod *In caſtra, ſeu poſt principia ſua;*

fronte ſcilicet exercitus in contrariam partem, hoc eſt, in tergum obuerſâ, quem fugitantium, atque ad curſuram exercentium ſeſe, non verò *ſtatim rem gerentium* morem eſſe, deſertores ac fugitores ſciunt, quorum animi timor auribus officit, vti callidè à Salluſtio noſtro in Catilinæ oratione demonſtratum.

Meus pater nunc pro huius verbis rectè & ſapienter facit,
Qui complexus cum Alcumena cubat amans, animo obſequens.

Cuius poſtremi ac ſuccidanei verſus hanc vult eſſe conſtructionem Lambinus: *Qui, cum Alcumena cubat, eam complexus ſcilicet.* Sed verò errat meâ quidem ſententiâ. etenim Cum illud, cum *Cōplexus*, conſtruendū. Sic idem Milite:

Scenâ: *Niſi quidem.*

Atque ego illà aſpicio, oſculantem Philocomaſium cum altero
Neſcio quo adoleſcente. Atque equidem, quum recogito, credò *Complexus* iſtud Participij paſſiui (vti loquuntur Grammatici) ſignificatu ſumendum hoc loco; haud quidem ἀπὸ τ͂ *Complector*, ſed verò *Complecto* potius: cuius

ſimplex

ſimplex eſt *Plecto*, legitimè deriuatum, proinde vti ab *Implecto, Implexus*. Neque multò ſanè aliter Lucretius:

Quæ complexa viri corpus cum corpore iungit:

de cuius etiam Poëtæ ſyntheſibus τὸ, *Complexus cum Alcumena,*

Implexus validis Veneris compagibus hærens,

arctoque ac tenaci brachiorum ac totius denique corporis ſymplegmate, hoc eſt, ambitioſiſſimo membrorum omnium complexu compreſſuque, per rem voluptatum, ſic quaſi glutino, cum Alcumena copulatus, ac veluti ferruminatus,

Interpretari commodùm in mentem venit.

Pergamus cum Plauto:

So. *Quùm in mentem venit,*
Illic hoc homo denuò volt pallium detexere.

Id eſt, Proinde quaſi hoc pallium meum Textoris operâ adhuc indigeat, ille autem, vt textor, id ſit perfecturus; eo me deſpoliare, ac nudum ſtatuere cogitat. neque multò aliter Lambinus. Quod niſi communis librorum omnium conſenſus obſtaret, næ ego perlubenter hercule repoſuerim:

Illic hoc homo me nunc volt pallio detexere.

Mouet quippe me auctoritas Seruij, hoc Plautinum dicendi genus disertè laudantis; verùm ex aliâ, vt reor, Fabulâ. Sic enim est apud illum:

„ *Ego hunc hominem detexam pallio*, hoc est,
„ *exuam & spoliabo.*

Agite pugni, iam diu est, quod ventri victum non datis.

Imitatur verba ac minacias velitares Plani, siuè præmiatoris nocturni, cuiusmodi se esse assimulat Mercurius: quibus moris est, homines in viâ afflictare de nocte, pessimisque exemplis mulcatos, ac vestimẽtis detractis, (hoc enim *Nudos* est) in soporem sic quasi depositos conlocare: atque ita ex pugnorum messe & gladiorum licentiâ victum sibi porrò ac vitam quæritare. Vnde & aliquantò post malũ sibi prætimens Sosia, solus secum friguttit pauidus: So. *Cingitur, certè expedit se.* prò *Accingitur*, aptatque se pugnæ, hoc est, gradum ad præliandum componit: *Si pugna est, vbi tu pulsas, ego vapulo tantum.* quod tamen non ex meâ, sed verò verberalissimi Sosiæ personâ pronunciatum cupio. Idem etiam posteà quoq.

amoliri

amoliri ab se omnibus modis satagens odiosum illum *hominum Exossatorem*:

Vltrò istic, qui exossat homines: perij, si me adspexerit.

inquit. *Vltrò*, id est, procul esto; seu longissimè absit à me & capite meo. Estque masum metuentis sibi hominis tenebrionis deprecatio, notanda ob raritatem nouæ significationis in voce, *Vltrò*: quam planius itidem expressam habes in Casina:

Vltrò te amator, apage te à me. Nec non Captiuis: *Vltrò istum à me.* Vtrobique autem cum accusandi casu, vt vides. Vnde & hoc loco prò *Istic*, *Istunc*, legi debere, non de nihilo suspicio est mihi, vel certè, *Istinc*.

MER. *Vox mihi ad aures aduolauit.* SO.

Næ ego homo infælix fui,

Qui non alas interuelli, volucrē vocem gestito.

Hoc eò mutit secum Amphitruonis Sosia, quoniam Mercurius dixerat anteà, *vocem sibi ad aures aduolasse.* vt persistat in Metaphorâ, quam eidem alter ille præiuerat prior; proinde ac si de bestiâ aliquâ volaticâ loqueretur. *Aduolare* enim & *Auolare*, vni *pinnis apto sæculo* (En-

 niano

niano more fari me scito) hoc est, haud aliis quàm *pennipotentum* ac volatilium corporibus, ab orbe iam inde condito à Naturâ, communi illâ omnium parente inditum, vel potius tributum diuinitus: ne quis Dædalos porrò, Perseósve, aut Bellerophontas somniet nobis, inania Poëticarum Allegoriarum ludicra. Quò etiam pertinet iocus ille Cistellariæ: H A. *Cistella hic mihi, adolescens, euolauit.* L A. *In caueam datam oportuit.*

Scenâ: *Nisi quid mihi.*

Nunc ad Amphitruonem denuò:

M E. *Na tu istic hodie malo tuo compositis mendaciis*
Aduenisti. Emendato audacter meo periculo, *Istuc*, prò *Istic*, id est, *Huc*.

Eâdem Scenâ haud placet illud, quòd Mercurio post pugnos aliquammultos quibus ab eodem, sic quasi aduentitiâ, nimis vtrique benignè ac prothymè adueniens acceptus fuerat modò, cuius demum heri famulus esset, sci scitanti respondet Sosia:

Tuus: nam pugnis vsu fecisti tuum.

Neque enim bene, sicuti ego arbitror, concurrunt gemini ablatiui illi; *Pugnis* & *Vsu.* ideoque perlubenter, (si quid

quid tamen mihi positum est in his rebus iudicij) τὸ *Vsu*, cum verbo insequente (*Fecisti* inquam) coniunctim atque vnâ dictione scribundum contenderim. Quæ vox etsi auribus nostris paullò insolentior obiiciatur, non idcircò tamen à Plautini Theatri Genio aliena iudicari debet, illis præsertim qui probè norunt, quàm idem ille *liber harum rerum multarū siet*. Quid? quòd *Manufactus* ac *Manuductor*, haud nimis sanè dissimiliter composita vsurpamus, & *Vsucapio*, atque etiam *Vsufructus*, multaque alia modi illius? Non inficeor, diuisim etiam, *Vsu suum facere*, dici posse; & quidem oppidò Latinè: fidem nobis facientibus Pomponio, & Iureconsultis; nec non vnico illo, fidei præclaro in primis, *Romanæ sapientiæ magistro*, ità disertim in Epistolis illis suis ad Lucillium scribente:

Pacuuius, qui Syriam vsu suam fecit, quum vino & illis funebribus epulis sibi parētauerat, quemadmodum & *Vsu capere*. ad quod indubiè Poëta respexit hic noster. hoc tamen loco nescio quî magis animo meo satisfacit compositio illa quam

dixi. Cæterùm de hâc Lite pronuncient doctiores : *Dicere quêis promptum est, quid distent æra Lupinis.*

Sub eiusdem Scenæ finem, sententiam concinnant perplexabilem verba Sosiæ, ita secum fabulantis:

Vino fit, quod numquam quisquam mortuo faciet mihi.

Quæ hunc in morem exponenda pronunciauit Lambinus: *Mihi, vel me viuo, imago mea præfertur, quod numquàm quisquam faciet, me mortuo. Iocus ex Imaginis mentione, & nomine quæsitus: & ad consuetudinem Rom. referendus.* Hactenus ille. Ego verò ab Auctore ipso potius germanam loci huiusdem explicationem arcessendã autumo, ità in Mostellariâ suâ semetipsum disertissimè interpretãte :

Scenâ : *Iuppiter supremus.*

Ludos ego hodie viuo præsenti hîc seni
Faciam, quod credo mortuo numquam fore.

Scimus enim Ludos Funebres Romæ; hoc est, Gladiatorios, in illustrium virorum funeribus, sic quasi in luctu publico, ad rogum fieri consueuisse antiquitus. ad quos respectans Sosia, per ioculum & ludum inquit, argutè sanè & vernilem in modum: *Nunc mihi*

fiunt

sunt Ludi, hoc eſt, nunc ego ludificor probè, cui nullus poſteà Ludos facere volet in morte. Quod quidem exemplum quum haud ignorauerit Lambinus, mirum verò, vnde illi loco tam alieno, Imaginoſum iſtud, Ludorum enarratione exploſâ, in Commentarios ſuos collibitum fuerit referre.

AD AMPHITRVONEM CAPVT III.

Carptim quædam declarata, partim etiam correcta. Apud hoſtes ſedere. Herile imperium ſimitu cum vino ebibere. Corij bubuli. *Matutinæ Togæ officium, proiectæ patientiæ ac pluſquam ſeruilis obſequelæ contumeliis effertiſſimum. Exemplorum aliquot conlationes.*

SCENA II. narrationem occœptam continuans Mercurius pergit porrò proloqui.

Nunc de Alcumena dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos.

Fuit

Fuit opinio quondam mea, *Minus dudum*, prò *Non ità dudum aut pridem*, positum hocloco. Cæterum hanc interpretationem ſententiæ ipſius ratio abhorret, quæ poſtulare videtur, vt accipiamus, quaſi Mercurius dixerit: Nũc de Alcumenâ quod vobis nondum etiam ediſſertaui. cui haud abſimile Terentianum illud:

quod intellexiſtis minus.

Scena III. *Nimis hic ſcitu'ſt ſycophanta, qui quidem meus ſit pater.*

Quod eodem ferè modo dictum deputo, quo Naſonianum hocce:

Quæ tua nequitia eſt, non his contenta fuiſſet.

Sequitur mox acris Alcumenæ conqueſtio, cum Amphitruone ſubditicio vxorium in morem expoſtulantis; eundemq́ue de præpropero ac repentino diſceſſu muliebriter accuſantis his verbis:

Ecaſtor te experior, quanti facias uxorẽ tuam. εἰρωνικῶς. Sed videtur legendum: *Ecaſtor re experior.* idq́ue haud paullò efficacius fore, quis nòn videt?

Habes ibidem: *Nequiter penè expediuit prima paraſitatio.* prò quo à Lambino editum

editum (*Expetiuit*) quod quidem verbum eodem pænè significatu ter in hacce Tragicocomœdiâ vsurpatum Plauto, vt sit sensus: Pænè malè & infæliciter sub manus successit mihi prima mea parasitatio. Cæterum mihi volgatam lectionem defendere placet potius; interpretorque, *Expediuit*, expedita est, id est, peracta, eâdem propè sententiâ cum Lambino. Sequitur:

ME. *Ex amore hic admodum quàm sæuus est?* Sine interrogationis nota scribēdum: & errat Lambinus cum glossemate hoc suo: *Quàm valdè iracundus est?* Est enim liquido affirmantis, hoc modo, *Perquam sæuus*, id est, insignitè oppidò iracūdus, animique perciti ex amore, & quod alij, *Quamlibet impotens, immodestus*; Catullus *Quamuis* dixisset, vt ibi:

Quamuis sordida res & inuenusta est:

Id est, impensè ac nimis sordida.

MER. *Eamus Amphitruo: luciscit hoc iam.*

Obserua, amabo, Dominum hoc loco nomine Amphitruonis à seruo suo compellitari: satis pòl familiariter: quomodo item Sosia multò etiam licentius Alcumenā, non *Heram*, sed *Mulierem*

liere vocitaturus posteà illis in versibus:
Sed, mulier, postquã experrecta es, Prodigiali Ioui
Aut mola salsa hodie, aut thure comprecatam
oportuit. præter rationem decori, morumque quibus hodie vtimur comitatem, Aulicasque elegantias: si quidem seueras & ingenuas illas priscorum hominum consuetudines ad effætũ huncce iudicioli nostri captum ac præsentis sæculi disciplinam fastidiosius exigamus. Sed profectò verum est nimis oraculũ illud nostrum, permulta antiquitus vitio data, quæ cupidissimè à nobis hodie appetuntur, laudique sunt & honori: alia è contrà in opprobrium versa, quæ singulari apud cascum illud sæculum gratiâ summisque laudibus floruere.
Sic voluenda ætas immutat tempora rerum:
Prò captu cuiusque, & moribus ingenióque.
id quod nos cum aliâs ac nominatim in Horatio demonstrasse, tùm planius etiam suo deinceps loco in Plauto demonstrassere, est cõfidentia. Pergamus:
Iam ego sequar: numquid vis? AL. *Etiam vt actutum aduenias.* Mirum, nisi interpuncti vitio laborat hoc Alcumenæ manda-

mandatum. Mihi certè haud paullò concinnior voti istius vxorij sententia fore videtur, si ad hoc exemplū quod ponam distinguatur potius:

Nunquid vis? A L. *Etiā; vt actutū aduenias.*

Etiam, scilicet, volo (neque aliter nos hodie) vnum illud scilicet, vt ab exercitu quamprimùm reuenias domum, vtq. ad vxorem tandem tandem vorsoriam capias denuò.

Actu II. Scenâ I. quærit porrò Sosia:

Quid mali sum, here, tuâ ex re promeritus?

Id est, quod in rem tuam esse possit.

Habes deinceps: *Ordine omne vti quicquam actum est, apud hostes dum sedimus, Edissertauit.* Legendum, *Quidque*, id est, vnumquodque. Sic enim ferè vbique Plautus, non *Quicquam*, vel *Quicquid*, proinde vti edidit Lambinus. *Sedimus* autem, id est, desedimus, consedimus cum exercitu copiisque nostris militaribus. propriè. Vnde composita illa: *Obsidere*, *Insidere*, tum *Præsidere* deflexa. *Apud hostes sedere*, nihil aliud proinde fuerit, quàm quod nos patrio sermone edisertare soliti: *voor de viant ligghen*, cui respondet: *Castra mouere*; hoc est, alium

Hinc, quod Latinis, Obsidium, proauis nostris Besit/ *dictum, hodie* Beleg:

alium porrò in locum transferre. Vsus eo loquendi genere & Plancus ad Ciceronem quo loco scribit: *Itaque copias prope in aspectum Lepidi, Antoniiq; adduxi; quadragintaq; millium passuum spatio relicto, consedi,* &c. hoc est, Ter neer gheslaghen. Adde huc Fragmentum istud Catonis Censorij ex Oratione DE SVO CONSVLATV à Charisio citatum: *Omnia tumultu plena,* (veteris codicis lectionem sequi me scito) *simul hostium copiæ magnæ contrà me sedebant, vsquequaque lacessebamur.*

Sub eiusdem Scenæ finem ita hero suo respondens idem inducitur Sosia:

Non ego cum vino simitu ebibi imperiũ tuum.

Quod ipsum in Persa quoque imitatus videtur, quùm scribit:

Quanquam ego vinum bibo, at mandata non consueui simul bibere.

Actu. II, Scen. II. Alcumenæ illa de obuiam itione deliberatio, parum adeò legitimè concepta videtur mihi:

Magis nunc meum officium facere, si huic, (scilicet viro meo, Amphitruoni) *eam aduorsum arbitror.*

Proinde & ego tam honestæ vxoris officio facturum arbitror impensius, si

eampse

eampse hunc in modum potius loquentem concinnemus : *Magis nunc meo officio facere, si huic eam aduorsum, arbitror.* *Magis facere*, est, conducere conuenire arbitror magis officio meo. quo significatu id verbi etiam Propertio acceptum versu illo:

Non faciet capiti dura corona meo.

Quamquam quid eo est opus, in re perspicuâ imò clariore,

Quàm solis radij esse olim, cùm sudũ est, solent?

E âdem mox Scenâ, ità Alcumenæ prægnanti peregre domum aduenienś ex amore & more congratulatur Amphitruo:

Et cùm te grauidam, & cùm pulchrè plenam adspicio, gaudeo.

Sic & Menander apud Suidam, illam quæ vterum gestat ac saburrata est probè, καλῶς δύσπλήρην vocat.

Addam & alterum, Graio (vt videtur) fonte deriuatum loquendi genus ex persona Seruili:

Non tu scis? Bacchæ bacchanti si velis aduersarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius:
Si obsequare, vna resoluas plaga.

Huc enim Lucianicum fortaſſe illud, è veteri (nî fallor) Poëtâ aliquo deſumptum, haud inſcitè applicari poſſe ex Fugitiuis:

ὁ μὲν γὰρ κέρχνος ἀπάγει μιᾷ πληγῇ,
καὶ ὁ θάνατος ταχύς.

Et verò non conducit huic inſtituto meo, quod bis iam proſperè ſub manus ſucceſſit, relinquere. Itaque aſtruatur & tertium.

AL. *Fiat: tu Theſſala intus pateram profer-*
to foras.

nam & hoc ex Helleniſmi formula interpretandum, qua dicunt, τὸ ἐντὸς ποτήριον. vt fiat, Proferto pateram eam quæ eſt intus. Lambinus poſt interrogationem illam Amphitruonis, *Quid eſt?* huncce verſum, præter Nonij laudationem, in nonnullis Codicibus antiquis repertum interponit hoc loco:

Nihilne te pudet ſceleſta populi in conſpectum
ingredi? cui non ſubſcribo, atque eò minus, quod in Nonianis exemplaribus non *Sceleſta*, ſed, *Sceleſte*, legatur.

AM. *Vbi tu cubuiſti?* AL. *In eodem lecto*
tecum vnà in cubiculo.

Lecto diuerſo ſcilicet à Tricliniari illo

illo cuius anteà commeminerat modò his verbis:

AL. *Cœna apposita est, cœnauisti mecum, ego accubui simul.*

AM. *In eodem lecto?* AL. *In eodem.*

SO. *Hei non placet conuiuium.*

Eâdem verò Scenâ, vbi haud multò post legitur:

AM. *Vir ego tuus sim? ne me appella falsò, falso nomine.* hoc modo scribi mauelim:

Ne me appella falsa, falsò nomine.

Falsa, hoc est, aut mendaciloqua, aut imagine veri decepta atque à rectâ ratione vagans quàm longissimè.

Ad Scenam II. Actus tertij aliquando veniamus. ait ibidem suppositicius iste Amphitruoni Iuppiter:

IVP. *Faciundum est mi illud, fieri quod illæc postulat,*

Si me illam amantem ad se studeam recipere.

Hoc est, Si cupio, mutuum mecum vt faciat Alcumena, id est, amet pariter simul: vel certè hoc modo construenda sententia: Si studeam illam recipere ad sese me amantem, hoc est, me qui eius amore distineor. Sic Lucretius libro I.

 Te so-

Te sociam studeo scribundis versibus esse.

In illis verò Amphitruonis verbis Act. IV. Scenâ I.

In medicinis, in tonstrinis, apud omnis ædes sacras
Sum defessus quæritando, &c.

notabis *Medicinas*, prò Medicorum, seu Chirurgorum etiam (nondum enim bipartita hæc munia id temporis, vti hodie) pergulis, aut officinis positas hoc loco. Sic enim Menechmis:

Facite vt sublimis in medicinam raptus siet.

Alterâ verò eiusdem Actus Scenâ has reperias minacias:

Faxo, vt bubulis coriis onustus sis Saturni hostia.

Sic & Pœnulo:

Tres corios in me contriuisti bubulos.

Vide Noniũ in Voce, *Coriũ*. Sce. III.

SO. *Videsis, herus salutator oppessulatas ante fores graditur.*

Alludit ad officium Togæ, quod qui obibãt, *Anteambulones* seu *Salutatores* cluebant, ab hãc caussâ, quoniam clientes ac Salutigerulos se facerent potentiorum, voluntariæ seruituti quasi addicti, ne dicam mancipati spe sportulæ, aut Cœnæ Rectæ: quam vt adipiscerentur

ſcerentur aliquando, manè, vel à mediâ nocte interdum præ foribus, aut in veſtibulo ſaltem egreſſum Regis ſui deducendi porrò, ac proſequendi gratiâ, præſtolabantur; officiâ ſuâ ex parte quiſque æmulanter inter ſe atque adeò ambitiosè intendentes, quò videlicet contemnifico illi ac faſtidioſo domino morigeros ſeſe & obſequentes præberent probarentque: nihil non contumeliarum interim à Ianitoribus Atrienſibuſque, atque id nugis hominum indigniſſimè, pertolerantes ac deuorantes taciti. Quò etiam referundum Petronij illud:

Clienſq; cœnas impotentium captet.

Plura & compertiora noſſe qui volet, conſulat de toto hoc genere Senecam, Martialem, Iuuenalem, alios; denique Lucianum in Mercede conductis. Sequitur:

BLE. *Nihil eſt, famē exſpectat obambulans.*

Id quod nos patrio ſermone efferremus: Hy gaert een appetijtken al swandelende. Cui item locus ille Ciceronis ex v Tuſcul. reſpondet planiſſimè:

Socratem ferunt, quum vſque ad veſperam

contentius ambularet, quæsitumq́; esset ex eo, quare id faceret, respondisse, se quò melius cænaret obsonare ambulando famem.

Habes subinde:

BLE. *Oggannis.* SO. *Nec gannio, nec latro.*

Gannio, Canum propriè; quamuis sint qui Vulpium malint. nobiscum certè facit Lucretius:

Gannitu vocis adulant.

Ibi enim de Catulis est sermo.

Pergit ibidem Comicus noster:

AMP. *Vbi?* BLE. *Ante oculos: nō vides?*

AM. *Vix video præ irâ: adeò me istic delirum fecit.*

Confine huic illud ex eiusdem Asinariâ:

Non hercle te prouiderā, quæso ne vitio vortas,
Ita iracundia obstitit oculis.

A D

AD AMPHITRVONEM
CAPVT IV.

Plautini distichi quà ad sententiam, quà ad numeros integratio, ductu atque auspiciis Marcelli maximè: indidémque verbo Impediuit, *virtute insitia Diphthongi, de nouo interpretamento facta gratia.* Lances, Mensam detergere. Corruptus ex amore. *Locorum inter se conlatio.* Sartam mentem gestare. *Mendum sublatum de Plauto. Cicero in* Tumulti *Etymo de coniectura restitutus.*

Act. IV. Scen. IV. vbi legitur:

So. *Dixin' tibi hunc veneficum?*
Amp. *Imò hunc ego Thebani ciues, quì domi vxorem meam*
Impudicitia impediuit, per quem teneo thesaurum stupri.

Scribo, emendoque, τὸ *Ego*, & *Hunc*, modò in priore versu transpositis, posteriore autem gemellis monosyllabis illis quia malâ à manu esse videbantur,

vnâ liturâ inductis; ſimul, Trochaicorum ratio vt conſtet ſibi:

Imò ego hunc Thebani ciues, qui domi vxorem meam
Impudicitia impediuit, teneo theſaurum ſtupri.

Quorum verborum, in cõſtructione putà, hæcce fuerit œconomia: Imò ego hunc, ô ciues Thebani, (manifeſtum) teneo theſaurum ſtupri, qui vxorem meam, &c. Quod quidem facinus eò à me patratum cõfidentius, quoniam alterum iſtud è duobus, τὸ *Per* inquio, nullum adeò in Marcelli, laudatoris ſui Exemplaribus apparet, quo loco Literator ille etiam *peßimæ rei copiam Theſaurum dici poſſe* contendit, quomodo & hic noſter in Mercatore, *Theſaurum mali*, & Euripides θησαυρὸν κακῶν ſcripſere. *Theſaurum* igitur *ſtupri*, per appoſitionem dictum accipio, conuenienti in mæchum cõuicio, quem quidem ſe manifeſtâ in noxiâ prò deprehenſo tenere, nequicquam clamat verus iſte, haud perſonatus Amphitruo. Sed enim videtur Nonius, *Impediuit*, hoc loco nouâ, vel antiquâ potius ſignificatione accepiſſe, inauditâ certè

vſque

vsque adhuc Grammaticis nostris; sed neque à quoquam etiam Antiquariorum, sat scio, intellecta. Atque hanc adeò coniecturam de ipsius glossis facio; quibus, *Impediuit* istud, præter morem receptum, *Sordidauit atque ad probrum duxit*, visus est enarrare. Quæ interpretatio si ab antiquis est (vti ego sanè esse non dubito) quid relinquitur porrò, quàm vt archaicum aliquod, Plautinæ & Nonianæ sẽtẽtiæ accommodatius quod sit, aliud nobis etymon comminiscamur? hoc loco quidẽ (alibi enim istiusmodi explicationem nullus moror) & verbum istud haud quidem ab *Impedimentis* aut *Pedicis* (quas porrò vt effugiamus cautio est) verùm à *Pædore*, hoc est, illuuie & sordibus, vnde item vetus adiectiuum, *Pædidus*, deductum: originationem habere ostendamus? tametsi iam id satis superque demonstratum deputo; eâdemque Lectori nostro fidem factam, *Impediuit* istud, non per simplex E, sed verò per Æ diphthongum rescribendum seriò. vt Nonianæ explanationi etiam scriptura in Plauti exemplaribus respondeat.

Vide Feſtum in voce *Pædidos*, quam ille, *Sordidos atque obſoletos*, interpretatur, à Græco fonte originem, vt apparet, detorquens; quia παῖδες, id eſt, pueri talis ſint ætatis, vt à ſordibus neſciant abſtinere. Satin' certa res cōdem quoque reſpexiſſe Latinorum Lyricorū principem, quum canit: *Sordidosq́ natos*: item Martialem meum:

Vicina in ipſum ſylua deſcendet focum,
Infame cinctum ſordido.

Eâdem Scenâ vbi Amphitruo nouitate rei attonitus pergit quærere:

Prô ſumme Iuppiter, vbi hodie
Mihi formam adimis, perge quærere: tun' Amphitruo?

In nonnullis editionibus eſt: *Perge quærere.* idq́ue haud paullò integrius, quàm Dionyſiacum iſtud.

Præceſſerat eâ ipsâ Scenâ:

Lances detergam omnes, omnesq́ trullas hauriam.

Simile Paraſiticæ rationi illi, quam in Menechmis ſibi reddit Peniculus:

Iuuentus nomen indidit Scorto mihi,
Ideò quia menſam, quando edo, detergeo.

Interius

Interius demùm operæpretium fuerit penetrare.

BLE. *Antequam cum Taphiis à te pugna sit inita, quid mandasti mihi?*

AMP. *Parata naui,* (id est, ad fugam præparatâ atque instructâ) *clauo hareres sedulò.*

IVP. *Vt si nostri fugam facerent, illuc me tutò reciperem.*

Strenuum verò excercitûs ductorem, & qui non quod ante pedes discrimen est modò, prouisum habeat probè, verùm & cautione in tempore, vel potius longè ante tempus adhibitâ sedulò, suæ ac priuæ magis, quàm communi securitati prospexerit in futurum:

Quiq; Fabl cunctatoris documenta secutus
Haud temerè popat rumores ante salutem

scilicet. Sed enim respondendum huic obiecto, consultò idipsum à Poëtâ nostro, Theatraliũ plausuum, si quis alius, aucupatore, satis pòl Satyricè in Palliatum Imperatorem detortum videri posse: quippe qui sciret non cũ Graio, sed cum Romano pop. Scenicum esse negotium sibi:

Matrigena

Martigena Populo, cui publica crimina curæ,
Iactaq; in ignauos opprobria grata Strategos.

Dixit ibidem Sosia:

Vterque rem tenet probè.
Intus in crumena clausum alterum esse oportuit.

Cui geminum propè est superius illud ex personâ eiusdem Sosiæ itidem mirantis pronunciatum :

Mira sunt, nisi latuit intus illic in illac hirneâ.

Actu V. Bromia semet miserans inducitur cũ hâc muliebri querimoniâ:

Animo malè est, aquam velim, corrupta sum, atque absumpta sum.

Hinc comprobatur eius lectionis integritas, quæ in Bacchidibus comparet huiusmodi:

Me ex amore huius corruptum esse oppidò.

Ibidem habes :

Vbi quisque instíterant, concidit crepitu.

Quam loquendi viam etiam Sallustium institisse videmus Histor. III.

Locum nullum, nisi in quo armati institissent.

Habes non multò post :

AMP. *Hæc sola sartam mentem gestat mearum familiarium.* Ita enim cum Lambino scribo, pro integrâ, sincerâ, & sanâ. Cui correctioni adstruendæ fuerit

fuerit vel cumprimis vetus illa Auguralis loquutionis Formula; (SANE SARTEQVE) à Porphyrione ex Verrio & Festo laudata apud Charisium Grammaticum. Cæterum vereor, vt Plautus *Meorum* potius scripserit; vt *Familiarium* nomine, non Alcumena cum Bromiâ modò, & reliquo fæmineo comitatu, verùm Sosia etiam, cæterique eiusdē socienni, ac conserui domestici, omnis deniq; Amphitruonis familia, vnâ quasi strue cōprehensi censeantur.

Vorsoriam capiam aliquando; ordinéque velut inuerso, quod primum in hoc choragio fuit ad postprincipia traducam, atque adeò in tergo collocabo denique; ὕστερον πρότερον vti fiat scilicet: de Argumentis Fabulæ præsentis loquor, in quibus & hæc quoq; iudicij facio tui,

O & præsidium & dulce decus meum, eruditissime LIPSI: qui hoc, quicquid est, literariæ controuersiæ haud paullò certius æquiusq; opinor es decisurus, quàm Amphitruonis illud cum Ioue certamen διαιτητής iste Comicus cui Blepharoni nomen inditum

à Plau-

à Plauto. In priore itaque Argumento, vbi *Tumulti* mentio est, Tullianam vocis eius originatiōnē producit Lambinus, in hæc verba cōnceptam:

Quid est enim aliud tumultus nisi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur? vnde etiam nomen ductum est Tumultus.

Mendosè. Ego enim deierare vel Iouem lapidem sum paratus, Ciceronem à *Tumore multo*, nomen istud potius deduxisse: atque ad hoc quod posui exemplum etymologiam istã tam apud Plautum, quàm Ciceronem, integrandam censeo, prò quod omnes libros omniumq; adeò mentes obsedit, *Timor multus*. Sic idē *Tumorem rerum* iterat alibi, item *Negotia tument*. quam eampse metaphoram à Negotiis ad Bella, Ouidianâ operâ traductam alicubi in Heroidum Epistolis etiam memini obseruare.

Ab eodem in tertio posterioris Argumenti versu,

Prò patria Amphitruo dum cernit cū hostibus.

τὸ *Cernit*, pugnat seu certat, explicatum cernimus examussim certissimè. Quid mirum? *Certo* enim à *Cerno* frequentatiuum esse videri potest.

A D

AD ASINARIAM.

CAPVT V.

Ad germanam τοῦ Vinnuli *notionem & (quod rei caput est)* Etymologiam, *Isidori manuductu peruentum tandem: inq; Epitheti istius Plautini expositione cum P. Diaconi, tum Lambini ac Turnebi, subleslam librorum suorum appellantium fidem, frustrationes detectæ, anctoritasq; explosa. Plautus interpretatus ex Seneca.* Dotalem seruum *apud Plautum eundem prorsus cum Catonis* Receptitio *videri.* Ob, *prò*, Ad, *&* contrà. Obduci *siue* Obductari, *de Candidatis, Scortis, Pellicibus dictitari solitum. Alia quædam.*

IN Asinariâ Plautinâ Lena introducitur, adolescentem foras ædibus eiectum, ac propterea multis malis verbis ne dicam pipulo, de iniuriâ istâ, imò contumeliâ stomachosè ac minaciter expostulantem præ foribus ludos

ludos faciens, compluribusque lenoniis argumentis exclusissimum illum concastigans insuper; ostendensque, immeritissimo suo vtique accusari sese, quùm nihil præter officium ac disciplinam suam faciat mulier lena, si amatorem inanem à datis,& cui Nœnia de bonis dicta siet, spernat segregetque à se procul, & quasi prò infrequenti militiâ domum remittat. Quid enim? quæstum hunc suum aucupij oppidò quàm simillimum esse, atque proinde vt aues lentissimis vinculis illis escariis in fraudé illectæ & præmium, areæ pedetentim assuefiunt, donec arundo alas verberet, quâ viscatæ atque irretitæ rem tandem soluunt aucupi; itidem amatorum turbæ vsu venire in ædibus Lenoniis, qui meretrice sibi prò escâ, lecto prò illice obiecto, ipsi in exitium suum sponte pessum,& quasi præcipites ruunt. neque id adeò mirum, re quippe voluptatum, ac delinimentis meretriciis fascinati; delinimentis inquam, quæ vel continentissimum illum Thesei filium, vel ipsum adeo Xenocratem, statuam veriùs

quàm

quàm hominem, Veneri mollire, ac malacissare possint. Ea verò sunt huiusmodi:

Benesalutando cõsuescunt, cõpellando blanditer
Osculando, oratione vinulâ venustulâ.

Quid autem est, *Vinula*? Nihili verbum quidem illud ac nugatorium. quocircâ *Vinnula* cum Nonio potius rescribi placet. Neq; verò Turnebi nos, aut Lambini auctoritas à rectè consulendo atque intelligendo distrahere debet, qui Longobardi illius Pompeiani inanissimâ hariolatione subnixi, à *vino* eam vocem deriuare pertendunt, *quod scilicet ità ad sensus amatoris permânet sensiloqua atque illecebrosa meretricis oratio, quemadmodum vinum in venas.* Quod tamen opinor ego viros sagaces adeò ac perspicaces nunquam hercule in Aduersaria sua relaturos fuisse, siquidem Isidorus iis in mentem fuisset modò, 11. Originum suarũ libro ità nos docens:

Vinnolata (restituo *Vinnulata*) *Vox est lenis, & mollis, atque flexibilis: & Vinnolata dicta à Vinno, hoc est cincinno molliter flexo.*

Vnde nunc primùm certè addiscimus, *Vocem Vinnulam*, siue *Vinnulatam*, ad

fractas & concisas illas effæminatissimis modis in concentu Musico flexiones propriè pertinere, quod modulationis genus *Chroma* indigitat Boëthius, quasi tu *coloratam vocum compositionem* interpretere, *Minurritioni* citandæ vniter accommodatam: & scitè, festiuèq; Plautus noster, qui ab hac formâ *Vinnulam orationem* appellitet blanditias meretricias Chromaticæ illius Musicæ in modum flexuosas, cincinnatasque, nec nisi affectibus commouendis excogitatas, hoc est, dicta infractâ, & quasi modulatâ voce labiis tenus modò, non verò animitus, aut è pectore penitissimo enunciata; notâ meretricularum arte. Adde ad superiora Etymon vocis *Vinnulorum*, qui patrio idiomate Longobardi dicti posteà à promissis quas alebant barbis. Quid apertius? quod tamen à nemine vsq; adhuc interpretũ nostrorũ animaduersum demiror.

Hæc quoque eapse Scenâ habuimus anteà:

AR *Vbi illæc quæ dedi antè.* LE. *Abusa.*

Verbi istius proprietatem satis superque à Nonio, ac Donato excussam deputo.

deputo. vnum hoc monendus Lector, Plautini huiusce exempli similitudine fulciri correctionem quandam Turnebi apud Catonem hisce verbis conceptam:

Donec omnem caseum cum melle abusus fueris.

Et quoniam iam semel in gratissimam Turnebici nominis mentionem Catoniani testimonij occasione incidimus, haut pigebit & alterū eiusdem potissimùm scriptoris auctoritate stabiliendum exemplum adscribere, sirempse ex Scenâ, trium abhinc modò versuum interuallo:

Quùm à pistore panem petimus, vinum ex œnopolio;
Si æs habent, dant mercem.

Rectè, sic & Cato: *Vendat* (inquit) *oleū si pretium habeat*: quod est, si præsentem pecuniam quis ei offert. Hactenus Turnebus, cuius sententiæ firmandæ haud incommodè spero euenturus Hellenismus iste Luciani in Gallo vbi legitur:

ἑπτὰ ὀβολοὺς τὸν μισθὸν ἔχων ἐπαναπαύσας περὶ δείλην ὀψίαν.

Habes mox:

Aliam nunc orationem despoliato prædicas.
quomodo & Martialis meus lib. Epigram. XI.
Nulla est hora tibi, qua non me Phylli rogatũ
Despolies: tantâ calliditate rapis.
Age ab vltimâ huius Actûs Scenâ inuerso ordine ad primam retrogradiamur denique, capto ab ipsis vsque carceribus auspicio, hoc est, à sollenni illâ ac Romanæ superstitionis plenissimâ Libani conceptâ aduersus herum obtestatione:
Sicut tuum vis vnicum gnatum tuæ
Superesse vitæ sospitem, & superstitem:
Ità te obtestor, &c.
A quâ non nimium quoq; abhorrere visa nobis illa Martialis cõprecatio:
Sic ad Lethæas nisi Nestore serior vndas
Non eat, optabis quem superesse tibi.
Ait ibidem porrò Demænetus:
Quanquam illũ mater arctè, comuentèq; habet,
Patres vt consueuerunt.
Interpretandum de illis Senecæ verbis ex lib. de Diuinâ prouid.
Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi exercitari iubent liberos ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus

non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis & interdum lachrymas excutiunt. At matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt.

Sequitur in Plauto:

Dotalem seruum Saurean vxor tua
Adduxit, cui plus in manu sit quàm tibi.

Hic idem prorsus esse videtur, quem *Receptitium seruum* de Catonis Censorij sententia appellat Gellius: qui quidem seruus in mariti potestate non erat, vt reliqui omnes, sed matronæ peculiaris & proprius, quippe *Receptitius*, id est, *exceptitius*, & cum reliquâ pecuniâ exceptus, nec datus doti, sed retentus. quo ex genere fuisse etiam videtur nequissimus Chalinus ille in Casina. Vide Gellium lib. XVIII. cap. VI. Cæterùm notandum *Adduxit* pro *Obduxit*, positum non hoc loco modò, sed & illo Rudentis:

Quæ me pellices adduxe dicet antè oculos suos.

Ob enim prò *Ad*, & contrà frequens apud antiquos verbi caussa, Ennius:

Ob Romam noctu legiones ducere cæpit.

Neque expers istiusce Latinitatis Ouidius ità in Heroidibus scribens:

Ante meos oculos adducitur aduena pellex.

Est verò *Obducere* in Plauto, aliquem contra ducere qui alteri aduersetur; fumum scilicet, hoc est, dolorē æmuli, seu competitoris sui oculis concinnaturus. Cicero ad Atticum I.

Vt mihi videatur non esse ἀδυνάτον Curium obducere. Vbi videlicet tralationem esse à Candidatis, quam planius item in Mercatore expressam habituri sumus posteà, non animaduersam Lambino nostro. Sic enim inibi, in ipsius fabulæ argumento primitus:

Eum putat vxor illius obduxisse sibi scortum.

deinde etiam sub finem ex persona vxoris zelotypæ:

Nec pol ego patiar sic me nuptam tam malè,
Measq; in ædes sic scorta obductarier.

Denique alibi compluries: quæ exempla conuenientiora sanè in superiorem Tullij locum, quam quod ex Comici nostri Pseudolo producit Bosius, meo quidem iudicio fuissent. Ad Scenæ exodium transeamus denique:

DE. *Audin' tu? apud Archibulum ego ero argentarium.*

LIB. *Nempe in foro?* DE. *Ibi si quid opus fuerit.* LIB. *Meminero.*

Et hoc

Et hoc quoque de sollennibus Romanæ illius Antiquitatis Formulis depromptũ, eodem M. Tullio teste indiceq́ue, quo loco ad Atticum scribit: *Erat enim si meministi, in Consulatus petitione per te mihi pollicitus,* SI QVID OPVS ESSET.

Vnde puto iam claret, quidnam Celtiberus Poëta voluerit sibi in largiloquâ illâ Bacchar æ pollicitatione mordacis styli naso exagitandâ:

SI QVID OPVS FVERIT, *scis me non esse rogandum:*
Bis nobis dicis, Bacchara, terq́; die.

Sub II. porrò Scenæ finem istæcce verba ab irato amatore expromũtur:

At scelesta, viden' ut ne id quidem me dignum esse existimat,
Quem adeat, quem colloquatur, cuiq́; irato supplicet.

Genus hoc loquendi disertissimè expressum epistola XIII. à M Cælio, de Appij Claudij hominis ingratissimi iniuriis seriò apud Ciceronem suum conquerente his verbis: *Posteaquàm illum, ne cui satisfaceret quidem, me dignum habere sensi; malui collegæ eius, &c.*

AD ASINARIAM,

CAPVT VI.

Plagæ prægnantes. Fores conſeruæ. *Naſo emendatus. Lambiniana correctioni tam in Plauto, quàm Appuleio repudium denunciatum. Salluſtiani loci cum Plautino aſſimulatio.* Obuiam occedere. In ſplendorem dare bullas, compedes. Portiſculi ac Caſteriæ *differentia; inibiq; meritam ob noxiam caſtigatus vetus Papinij Interpres.*

SCENA II. Actûs II. Vernile cumprimis illud ac feſtiuum nimis.

Etiam de tergo ducentas plagas prægnantes dabo.

hoc eſt, eminentes ac protuberantes, vt prægnantium vteri ſolent. quò facit Varronianum illud VI. de Ling. Lat.

In Fugitiueis age, euge, ſpecta vibices quantas. iam inſpexi quid eſſent. vibices, alij excitatũ verberibus corpus.

Præceſſerat modò:

LE. *Ætatem velim ſeruire, Libanum vt conueniam modò.*

Henric. Stephanus in Expoſtul. de Lat. ſuſpectâ, *Modò* iſtud pro *Nunc* poſitum hoc loco aſſeuerare non dubitat, parùm (ſicuti ego exiſtimo) ex Poëtæ ſanè huius noſtri ſententiâ.

Porrò, *Ætatem ſeruire*, pro diutiſſimè, ſiue æternùm ſeruire; aduerbialiter poſitum: nam quis hebeti adeò ingenio, qui ignoret, Nonium qui triuerit modò. cui videor gratificaturus, ſi Fragmentum quoddam Satyrographorum principis, ab eopte Grammatico productum, (vbi idem loquendi genus Perſios noſtros fefellit vſque adhuc) & auctius & emendatius in commune dilargitus fuero de meo. Id eſt huiuſmodi:

Non tamen ætatẽ, tempeſtatem hanc ſceleroſi Mirentur.

Hæc enim Iunianæ Editionis ſcriptura; mendoſa illa quidem, nec quicquam ad Lucilliani Genij luculentitatem; ſed quæ veluti è ſpiſſiſſimis tenebris aliquantam lucis ſcintillam tamen nouo huicce præluxerit Oedipo, virtute

tutę Donati maxime, in quo quum priorē huius hexametri partem, etiam præmiſſo Hemiſtychio auctiorem, BONA adminiculante FORTVNA, reperitaſſem, hacce formulâ cōceptam:

Vt multos menſesq; diesq;
Non tamen ætatem.

verborum ac ſententiæ ductum calidis veſtigiis perſequutus, ſtatim id quod res erat ſubodorari inſtiti, nimirum Lucillium ſcripſiſſe:

Vt multos menſesq; diesq;,
Non tamen ætatem tempeſtate hac ſceleroſi Lateutur.

Sic enim poſtrema hæcce verba à reliquo corpore ſuo diuolſa, apud eundem quem dico optimum Terentij Interpretem, alibi commemini me lectitare. ſententiâ aptiſſimâ ac apertiſſimâ, quæ nulla anteà ex Fragmenti vtriuſque diſtractione electari poterat, haud indignâ ſanè, quàm non in ore aſſiduè modò, ſed verò in penitiſſimis medullis promptam gerant homines Chriſtiani. vt quam ab Ioue ipſo cœlitus deſcendiſſe, ſit veriſimile; lento quidem atque ad ſcelerum vindictam cunctabundo, cæterùm hancce temporis

temporis tarditatem grauitate supplicij compensare solito. quem (teste Seruio) in cõcilio Deorum verba facientem, deque interitu Lupi cuiusdam in Rep. ducis consultantem, primo Satyrarũ suarum libro, (vnde & Fragmentum hocce desumptum) induxerat Lucilius. Lepidè ibidem *Fores domus herilis, Conseruas suas* appellat seruus multò verberalissimus, cuius dicti festiuitas haud indigna visa quam ad Amores Naso traduceret suos; scribens disertim:

Duraq; conserua ligna valete fores.

ità enim à nobis ex manuscripto Codice emendatus hic locus; cum in omnibus impressis *consertæ* pro *conseruæ* legatur ineptissimè. qua de re nos plura in Poëtam illum & tempore & loco suo dicturi. cur autem fores, quasi planè conditionis eiusdem, eodem quo se ponat & paret tam Ouidius ex suâ, quam Plautus ex serui nequissimi personâ, planum, vt spero, fiet ex illo Curculionis loco: Scenâ: *Quo te hoc noctis.*

PH. *Lenonis hæ sunt ædes.* PA. *male istis eueniat.*

PH. Qui

PH. *Quî?* PA. *quia scelestam seruitutem seruiunt.*

ME. *Quâ facie noster Saurea est, si is est, iam scire potero.*

Potius est, vt veterum editionum au-ctoritati subscribamus, *voster*, manife-stò referuntium. neque alienus huic opinioni Lambinus.

Idem *Casanti* prò *Quassanti* suppoſuit nobis hoc versu:

Atque hercle ipsum adeò contuor, quassanti capite incedit.

Inficetiſſimè, ac præter Comici no-stri mentē vtique, qui Sauream istum ſuppoſititium non *casabundo*, id est, de-miſſo ac deiecto vultu, vti Lambino placet, verùm *quassanti* potius, quem mi-nitantium ac stomachātium habitum esse scimus, capite incedentem in Sce-nam induxerat. Idem de binis Appu-lei locis ab Monstroliēſi illo de eâdem quam dixi fideliâ dealbatis dictum po-stulo. Sequitur:

Siquidem hercle Æacidinis minis expletus, animisq; incedit.

Id est, Etiamsi *Pelidæ stomacho* (vti apud Horatium est) *cedere nescio*, fastuque & iracundia

iracundiâ Achilleâ plenus ac sufflatus ambulet. Sic Mamercus Æmylius de Sullâ Dictatore apud Sallustium:

Quare igitur tanto agmine, atq; animis incedit?

Scenâ proximâ:

Næ tu hercle cum magno malo mihi obuiam occeßisti.

Vnde paret, vbicunque ferè *Obuiam accesßit* habes in Plauto, *Occeßit* reponendum. Et *Occedamus*, pro *Contrà cedamus* Plautum dixisse, notat Festus. Ita enim vbique verbum istud inductâ diphthongo rescribendum res ipsa ratioque efflagitant. Idem habuimus & Scenâ proximâ, tametsi me non nescire *Ad* pro *Ob* & contrà *Ob* pro *Ad* operas inter se mutuas quasi vicissatim tradere, alterumque prò altero promiscuè passim à veteribus frequentari, satis superque iam superiore Capite demonstratum. Ibidem:

Vtinam nunc stimulus in manu mihi sit.

Hîc *Stimulum*, mox *Fustem* dari posteà exoptat sibi: imò verò & cum *Fuste* assiduò sibi ambulandum esse, facetissimè conqueritur, quo conseruos suos verbalissimos imperium suum negligentes

tes pro commeritâ noxiâ castiget scilicet. Vtriusque gestamen ab eodem copulatum reperias in Aulularià, vbi Euclionem malum ancillæ suæ interminantem inducit his verbis:

Si hodie hercle fustem cepero, aut stimulum in manum.

Ibidem:

Iussine in splendorem dari bullas his foribus nostris?

Genus loquutionis Plauto solitum. Verbi gratia: *In ruborem*, *In timorem dare aliquem*. Item, *Ad languorem*. Sed & Aulularià:

Nec suâ operâ rediget vnquam in splendorem compedes.

Portisculum Actûs III. Scenâ I. plerique omnes pro remigum hortatore siue etiam Pausario (vti Seneca appellat) eoque qui perticam, siue, vt aliis placet, malleum sibi cognominem manu tenens, *Requiemq; modumq;* (vti apud Ouidium est)

Voce dabat remis, accipiunt. Ego perticam ipsam, nō autem perticæ gestorē designari autumo. Ea enim (Pompeio, ac Marcello superstitibus) *Portisculus*.

sculus cluebat. quam rem studiosis faciliorem vt faciam, visum est mihi integrum Poëtæ locum palàm in commune proponere:

PHI. *Et meam partem loquendi, & tuam trado tibi.*
Ad loquendum atque ad tacendum tute habeas portisculum.
Quin pol si reposiui remum, sola ego in casteriâ
Vbi quieui, omnis familiæ caussa consistit tibi.

Cæterùm audiendum magis hoc loco, quàm auscultandum censeo Interpretem Statianum, qui *Casteriam perticam quandam esse in naui* credi postulat sibi, *quam hortator remigum tenet, quam si incusserit, remiges non desinunt, si deposuerit, quiescunt à labore.* quando ea omnia ad *Portisculum*, non verò ad *Casteriam* referri debeant. Quid enim *Casteria* quæso attinet ad *Perticam hortatoris?* Nihilo sanè plus arbitror, quàm *Pertica* ad *Casteriam*. Argumento est illud Nonij: *Casteria locus vbi cùm nauigatio conquiescit, remi & gubernacula conquiescunt.* Vnde liquido est perspectare, quæ quantaque inter *Casteriam* &c. *Portisculum* discordia sic quasi sortitò obtigerit.

PHI. *Etiam opilio qui pascit, mater, alienas oues,*
Aliquam habet peculiarem, quî ſpem ſoletur ſuam.

Peculatorias oues, hoc genus indigitat Varro, quæ nimirum ſeruis aut filiis familias ſunt in peculio.

AD ASINARIAM.

CAPVT VII.

Boſianæ correctioni, quamuis ſuffragante Lambino, in Virtute vlmorum, *aſſenſus palàm denegatus: additâ item alterius loci, contrà præiudicatam Monſtrolienſis illius perſuaſionem, nouâ ac ſuccidaneâ interpretatione.*

ACTVS III. Scenâ II. Vbi Leonida ac Libanus conſerui, interuorsâ ab Aſinario illo Mercatore pecuniâ gloriabundi, *Perfidiæ almæ nutrici ſuæ* ob meritum vitulantes onuſti cum prædâ inducuntur, receptam mehercules ſcripturam tueri decretum eſt mihi illo verſu:

Scapula-

Scapularum confidentiâ, virtute vlmorũ freti. contrà opinionem Lambini, qui Bosianâ aũctoritate deceptus, *Armos* siue *Humeros* pro *Vlmis* nobis supponere veritus non est: offensus, vt videtur, insolenti istâ *Vlmorum virtute*, qua non minus se quàm collegam suum fretum omnem in tergo confidentiam habere, seruiliter gloriatur Leonida. Meritò: quippe qui sese ac scapulas suas frequente, imò verò quotidianâ virgidemiâ ita ad sufferendas plagas adsuefecerant indurauerantque, vt iam aduorsus quæuis etiam suppliciorum genera examussim patientissimi ac firmissimi, vsûs diuturnitate & consuetudine redditi viderentur: callo humeris scilicet, tergoque ac lateribus obducto, prægnantium plagarũ multitudine. Quod si cui *Virtute armorum*, arriserit impensius, ei verò auctor sim ego, vt potiorem sententiæ suæ FVNDVM, non *Lambinum*, verùm *Isidorum* aduocitet sibi, eampse planè dicendi formulam, notione tamen diuersâ, concinnantem nobis hoc exemplo: *Armillæ, propriè virorum sunt, collatæ victoriæ*

caussâ militibus, OB ARMORVM VIRTVTEM, *vnde & quondam vulgò viriliæ dicebantur.* De verbis verò illis:

Vbi sæpe ad languorē tuâ duritiâ dederis octo,
Validos lictores, vlmeis affectos lentis virgis.

haud inscitè Titinnianum istuc, à Festo in voce *Rediuia* productum, interpretabimur:

Laßitudo conseruum, (ità enim locus ille interpungendus) *rediuiæ flagri.* id est, qui delassare, siue (cum Libano Plautino vt dicam) duritiâ tuâ ad languorem dare consuetus valentissimos virgatores, conseruos tuos. Solent enim Serui olim inter se flagellare. id quod ex hac ipsâ Comœdiâ edocti sumus iam anteâ: *Reduuiæ flagri*; addit; quasi circà verberonem illum vlmeæ virgæ & flagra se resoluant, tergi eiusdem firmitudine contritæ ac dissupatæ scilicet, vnde & *Reluuium* ἀπὸ τοῦ *Luo*, id est, soluo, aliis probari potius, idem Festus testatur. quæ vtraque tamen, si literarum D. & L. affinitatem pressius consideremus, eiusdem se originis ac notionis esse, facilè nobis fidem factum. *Conseruûm* autem, prò *Conseruorum* patrio casu positum

tum in Titinnio, quæ rogo stultitia sit, ostendere? Hæc pluribus ideò sum persequutus, quod Ant. Augustinum (at quem virum?) Festi Editorem, nec rectè, nec acutè satis collimasse videam ad hunc scopum: qui verbis Titinnij mendum subesse suspicatur, quum sint planissima. Est enim conuicium in verberalissimi illius ordinis, quem dico, tenebrionem detortum; quod genus, *Flagritribæ* passim, *Vlmitribæ*, *Bucædæ*, *Restiones*, *Subicula flagri*, ac *Tribuni vapulares* denique, nominitantur à Plauto.

Ad Argyrippi porrò, Herilis filij, amationes aliquando veniamus, ità apud Philenium suam lamentantis Scenâ sequente:

Mater mihi supremum tua dixit, domum ire iussit.

Vbi *Supremam* ex Iudiciorum consuetudine corrigendum & alij iam anteà admonuerunt, & adstipulatur Isidorus v. suarum Originum scribens: *Partes diei tres sunt, Mane, Meridies, & Suprema.* & cætera quæ sequuntur.

Ibidem:

Videtin', viginti minæ quid pollent?

Id eſt, quantum pollentiæ valentiæ-que habeant. Conſimilis huic, quam & hodie nimis nimiſque veram experimur quotidie, meri illius Iambici ſententia è Sticho:

Videte quæſo quid poteſt pecunia.

altera item Aululariâ, ex perſonâ & opinione ſordidiſſimi illius Euclionis:

Dij immortales, obſecro, aurum quid valet!

Neque abludit ab his Plautinis verſus iſte Ariſtophanis Ranis:

Φεῦ ὡς μέγα δύναθον πανταχοῦ τὼ δύ' ὀβολώ.

Sub eiuſdem Scenæ exodium, vbi adoleſcens animo æger, amore ſaucius, per ſeruos paternos, nequiſſimos illos intempeſtiuæ libidinis, ac ſenilis nequitiæ internuntios, Demæneto parenti ac riuali ſuo, renunciari iubet, paratum ſe ei de communibus amoribus gratiam facere: vt in partem videlicet noctem vnam modò Philenio potiretur, quæ furtiuó in lecto retritum emeritumq; rutabulum tractans, feruore ac morigeratione iuuenilitatis ſuæ accenderet ſenem; à Leonidâ interrogatus, an animum porrò vnquam inducere

inducere possit ætate & igne feruidus adolescens, vt à parente Demæneto amores suos se præsente, ac propè inspectante tractari, atque exerceri patiatur: palamque delicias ac libidines in communi amicâ facere Acheruntícum senem: hoc est, in lustris ac lupanari publico riualem, imò commaritum filio patrem fieri scilicet; officiosè respondet minis porrò extis placatus Argyrippus;

AR. *Hæc facilè faciet vt patiar.*

Hæc, subaudi, Bulga, siue adeo crumena viginti minis efferta. quam versatam identidem manu tenens, ac pertractans δεικτικῶς librando designat adolescens. hoc eò fusius visum est explanare, ne quis à Lambino persuasus forsitan, designationem eam ad Philenium, contra Poëtæ sententiam maximè, non verò ad pecuniam quam dixi pertinere existimaret.

AD ASINARIAM.

CAPVT IIX.

Plautus & Propertius explicati simul, & emendati. Sorum, *prò* Eorum, Sauium, *prò* Saliua; *nec non prò* ore ipso. *Antiqui intellectûs vsurpatio in verbo* Carere, *perquàm curiosè excussa.* Nugæ, & Ioci *prò simulatis illis Præficarum Næniis accepta.*

ACTVS IV. Scenâ I. inter cæteras leges Lenæ atque Amicæ præscriptas, & hæc conditio ab animi impotente ac suspiciosæ æmulationis amasio refertur in Syngraphum:

Ne epistola quidem vlla vspiam sit in ædibus,
Nec cerata adeò tabula, & si qua inutilis
Pictura sit, eam vendat.

Iconicum haud dubiè ex cerâ picturæ genus intelligit,

Quæcunq; alterius sexus imitata figuram est:

Imagines que, ac nescio quæ Deorum simulachra, aut eorum etiam quos caros habebant sibi, vultus repræsentantia, quorum ne vestigium quidem totis adeò

tis adeò in ædibus, nedum in cubiculo amasiæ suæ spectari vult Diabolus iste Plautinus: ne prætextu religionis, ac pietatis velamento effigies amatoris nescio cuius, supposititij Dei titulo, imaginariâque inscriptione istâ occultetur, & fallat. Vnde interpretandum etiam Propertianum illud libri III.

Me iuuenum facies pictæ, me nomina lædunt.

vbi tamen *Numina* quàm *Nomina* scribi malim, vt ad Deorum simulachra referatur. De *Cereâ* autem *Picturâ* agi, argumento sunt ea, quæ mox his ipsis ibidem subiunguntur:

——Nî quatriduò
Abalienarit, quo ex te argentum acceperit,
Tuus arbitratus sit, comburas si velis,
Ne illi sit cera, vbi facere possit literas.

Hoc est, ne pictura illa inutilis materiam scortillo suppeditet ac subministret, vnde ceræ tantum abradat subdola, in quâ literas ad amatorem porrò dirigendas clanculum, conscribillare possit scilicet. Cæterùm restituendum videtur: *Quo abs te argentum acceperit.* Cui suspicioni firmandæ eccam hanc Langiani Codicis scripturam tibi, *Abs-*

te: hoc ſolum peccantis quòd binæ (vt vides) voces perperam in vnum cooluerint. Nam:

Ex aliquo pecuniam accipere, Plautus vti dixerit, —*Credat Iudæus Apella, Non ego.*

Habes in eodem Syngrapho verſu interpoſito modò:

Vocet conuiuam neminem illa, tu voces.
Ad eorum ne quem illa oculos adiiciat ſuos.

In Langianarum Lectionum farragine non *Eorum* ſed *Sorum*, planè & probè procuſum extat. idque verum puto, Feſti adeò auctoritate in hanc opinionẽ adductus, itá diſertim ſcriptitantis:

Sos prò *Eos antiqui dicebant, vt* Ennius *lib.* I
Constitit inde loci propter ſos dia Dearum.
Et lib. III. *Circum ſos quæ ſunt magnæ gentes opulentæ.*
Lib. VII. *Dum cenſent terrere minis, hortantur ei ſos.*
Lib. XI. *Contendunt Graios, Græcos memorare ſolent ſos.*
Interdum prò ſuos ponebant, vt quum per Datiuum caſum idem Ennius *effert:*
Poſtquã lumina ſis oculis bonus Ancu' reliquit.

Sorum ergò prò *Ipſorum* à Poëtâ ſcriptum

ptum credi quid vetat, eo præsertim qui Ennianæ ætati suppar vixerit, & (si Liuium Næuiumq; exceptes modò) omniũ Latinorum Poëtarum iure meritoque suo antiquissimus cluat.

In eâdem Syngraphâ illâ Parasiticâ legitur:

Quod illa antẽ simulet, quasi grauedo profluat,
Hoc ne sic faciat: tute labellum abstergeas
Potius, quàm cuiquam sauium faciat palàm.

Ego τὸ *Sauium* hoc loco longè diuersum à communi vsu significare autumo, & *Salinam* expono, quam suspiciosus amator vitio Zelotypiæ, quo ferè hoc genus hominum laborare videmus, aliorum oculis prodi, aut palàm fieri non vult. Ei interpretationi hoc argumentum dico, quòd C L. Sambuci Codex M S C. item Exemplaria pridem, ante annos putà octoginta, formis excusa *Saliuium* siue *Salinum* disertè nobis etiamnum repræsentant, quod ab imperito quopiam Librariolo *Sauij* loco inculcatum verisimiliter suspicari lubet, qui nouâ dictionis elegantissimæ significatione non intellectâ glossam porrò in contextum retulerit. Sed

& Catullus non alio ſenſu vocabulum iſtud vſurpaſſe liquidò videri poteſt, vbi ſcribit:

Sed nunc id doleo quod puræ impura puellæ
Sauia coniunxit ſpurca ſaliua tua.

idq́ue ad exemplum illius, quod narrat Lucretius lib IV. ——*Iunguntq́; ſalinas*
Oris, & inſpirant preſſantes dentibus ora.

Tametſi non ignorem *Suauium* pro *Ore ipſo*, quemadmodũ & *Oſculum* haud rarenter à Poëtis acceptari. Nam & Plautus Milite:

Maiorem partem videas valgis ſuauiis.

nec non Rudente:

Tum quæ indoles in ſuauio eſt!

Quid? nónne in carmine Iambico, quod Virgilio tribuitur:

Os vſque lambis ſuauiis.

item quod citatur à Gellio:

Dum ſemihulco ſuauio
Meum puellum ſuauior.

idipſum apertiſſimè dilucet? cui loquutionis generi linguæ quoque noſtratis idiotiſmus planiſſimè etiamnũ hodie reſpondet. Hic tamen Plauti locus aliam explicationem haud diſſimilem illi, quã dixi poſtulare videtur.

Sequitur

Sequitur porrò:

Nec mater lena ad vinum accedat interim,
Nec vlli verbo maledicat: si dixerit.
HÆC MVLTA EI ESTO, *vino*
viginti dies. *Vt careat.*

Quæ quidem verba de Iudiciariis Legum Formulis adumbrata, in vsum suum sibi conuertit doctissimus Poëta. Eundem loquendi modum inter alia Romanæ antiquitatis monumenta, quæ ex Italia nobis retulit Fabricius, obseruare licet. in eo dico ludicro Testamento, quod Sergio Polensi parasito adscribitur. Verba sic habent:

Qui non paruerit, HÆC MVLTA EI ESTO: *Teste altero. careat.*

Quo loco notandum, quod & superius in Plauto, τὸ *Careat*, antiquo more dictum videri posse, nimirum eopse illo quo Ciceronem quoque lib. I V. de Republica vsum constat, vnde hæc verba à Nonio Marcello deprompta obseruauimus:

Ita magnam habet vim disciplina verecundia:
Carent temeto omnes mulieres.

Cui germanissimum quoque Plautinum illud ex Truculento:

Qui-

—*Qui improbus eſt, aquam ſi bibit.*
Siue adeo caret temeto, tamen ab ingenio eſt improbus.

Sic, *Carere culpâ*, *noxiâ*, pro vacare atque expertem eſſe, identidem apud Comicum noſtrum, alioſque priſcæ monetæ ſcriptores paſſim lectitamus. Neque aliunde Horatiani illius interpretatio arceſſenda in Epodis:

Quæq́ carent ventis, & ſolibus oſſa Quirini.

item alterius: *Gelidaq́ Diuos Morte carentes*, Tertij huius denique:

Malis carere quæritis laboribus.

Vide quæ ad locum illum ex primo Quæſtionum Tuſcul. Ciceronis libro annotauimus.

Hæc ſunt non nugæ non enim mortualia.

Nugas accipio, quæ à conductis in funere præficis ad ſepulchra cantari ſolitæ. Cui rei declarandæ opportuniſſimus locus iſte Agellianus. *Vos Philoſophi mera eſtis (vt* M. *Cato ait) mortualia gloſſaria: nam qui* (f. Namque) *collegiſtis & lectitaſtis res tetras, & inanes, & friuolas, tanquam mulierum voces Præficarum.*

Eædem quoque & *Ioci* nomine veniebant, cui rei liquidiſſimo teſtimonio

fuerit

fuerit hicce è Bacchidibus locus:

Tùm quùm meà illud nihilo pluris referet,
Quàm si ad sepulchrum mortuo dicat iocum.

Vbi simulatum illum Præficarum Lessum denotari videmus, Iocum atque Nugas modò vel ad rauim vsque mortuis occentantium in publico, hoc est, Nænias, siue lamenta funebria, ac fœmineos vlulatus, ad aures eorum quibus dicuntur nullo vnquam porrò tempore penetraturos.

AD ASINARIAM.

CAPVT IX.

De discumbendi, deq; circumpotandi more in conuiuiis agitari solito antiquitus. Emendatiunculæ aliquammultæ Plauto condonatæ. Alia quædam ad vini Regna, *siue* Magisteria, *nec non ad* Legem Talariam *pertinentia.* Αἰσχρολογία *quædam Petroniana obscurior* in voce Mediusfidius *è latibulis suis quasi sub diu protracta.*

ACTV V. Scenâ II.
ARC. *Pater,*
Iube dare vinum, iamdudum factum est, quùm primùm bibi.
DE. *Da puere ab summo, tu interibi ab infimo da sauium.*

Ab summo, nempe ab Argyrippo filio, qui summam lecti cõuiualis partem premebat: haud quidem in biclinio (vti Bacchidibus) multò minus triclinio, quando singularis Lectisternij modò mentionem hîc fieri videmus, in quo Senex ipse medius (vt æquum erat

erat patrem) loco putà honoratiore; Philenium interior porrò, hoc est, in gremio capularis amasij sui ima accubitaret, more amantibus nimis quàm solenni, qui locus item legitimis vxoribus debitus temporibus illis. quâ de re adeundus Lipsius meus tibi ad XI. Annalem Taciti Commentario. Vnde *Suauium ab infimo dari sibi* postulat Demænetus, ab eâ scilicet parte, atque ex eo loco, vbi basiatura decumbebat. Huic consimile illud Persæ:

Age puere, à summo septenis cyathis committe hos ludos.

Hoc est, In orbem fac cyathisses, initium porrò ex ordine faciēs à summo, & (quod Varro autumat) *Circumfer potionem:* & Plautus eâdem in Fabulâ:

Age circumfer mulsum bibere

(ego, *Puere* ἀντὶ τοῦ *Bibere*, malim)

Da vsque plenis cantharis.

Id est, quod Græci perhibent: ἐν κύκλῳ πίνειν, ab eo conuiuâ scilicet, qui summis accumbit ad imum. Quem morem Romanis solennem in omni conuiuio fuisse, quoties paullò dapsilius inuitare se vellent, abundè confirmat

mat idem ille Choragus noster Lipsius Antiquarum libro III. Cui adiectes licebit insuper hocce à Mostellariâ exemplum:

PH. *Age tu interim da ab Delphio citò cantharum circum.*

Nam & ibi, itidem vt hîc, ad puerum pocillatorem directus est sermo.

Suprà hâc ipsâ Scenâ illud penè præterieram immemor ex Artemonæ personâ prolatum:

At scelesta ego præter alias meum virum frui rata
Siccum, frugi, continentem, amantem vxoris maxime.

prò quo, *Alios*, in aliis est editionibus, atque ita legendum paret ex eo, quod mox quasi ex trauerso respõdens imitatur Parasitus verbis illis:

Ante omnes mortales.

Eâdem Scenâ aliquanto pòst nescio quid mendi latere suspicor, cui rei vt fidē inueniam, locum integrum, proinde vt in Camerarij ac plerisque editionibus cusus legitur, adscribam. quò nempe facilius & minore cum negotio id quod res est videamus.

ART.

ART. *Ecquid matrem amas.* DE. *Egóne? illam nunc amo quia non adest.*

ART. *Quid cùm adest?* DE. *Perisse cupio.* PA. *Amat homo te hic, vt prædicat.*

Primò ζητήματα illa Demæneto posita: *Ecquid matrem amas?* item: *Quid cùm adest?* nihil minus quàm Artemonæ partibus conuenire, res ipsa arguit planissimè. Ea itaque (pace Librariorum quod fiat) Argyrippo filio redonanda censuerim, vnius modò literæ, T. nempe in G. commutatione vsque ad locum illum, qui iure suo Artemonæ debetur. Deinde non placet loquutio illa, quâ viro suo malum daturam sese, idque cum fænore eadem sufflata interminatur his verbis:

Næ ille ecastor fænerato funditat.

Nam *Funditat* istud absolutè positum modò non cerebrũ excutit mihi. quod quò minus inducar, à Plauto factum vt credam, in caussa est alter eiusdem locus, qui Amphitruone extat huiusmodi,

Cum cruciatu tuo isthæc hodie verna verba funditas.

Item Pœnulo: *Tantula tanta verba funditas.*

Quorum duorum ego locorum virtute fretus vbique, prò *Ille, illæc*, repositum ire non dubitauerim, vt subaudiamus *Verba*, aut aliquid tale. Cæterùm quod ait *Fœneratò funditat*, haud incommodè arbitror explicari posse ab eo, quod paullò prius eadē Artemona ista muliebri iracundiâ in virum alièni fundi exercitorem effuderat:

Ædepol na tu istuc cum magno malo tuo Dixisti in me, &c.

Non dissimile est, imò penè geminum germanum huic, quòd in Menæchmis quoque pallam sibi à viro actu manticulatam, conquerens nescio quæ mulier meritò comminatur:

Na illam mecastor fæneratò abstulisti.

Sequitur porrò eâdem Scenâ, versu singulari interposito modò:

ARG. *Iace pater talos, vt porrò nos iaciamus.*

Vbi *Talos lusorios* significari videmus, quorum *Venerio* seu *Basilico iactu Regna vini* (cum Flacco dicam) *sortiri*, hoc est, Dominum'ne an Modimperatorem, siue adeò *bibendi Arbitrum* creari mos erat, idque in omnibus ferè tempestiuis conuiuiis.

uiuiis obseruabatur, solis (puto) seruilibus exceptis. Ab his enim tam in Sticho, quàm in Persa (vbi exemplorum copiæ nobis in mundo) Symposiarcho, seu Dictatori creando prorsùs exulant Tali, (Lege Talariâ opinor vetiti) sed eorum vicem in alterâ coronæ impositio, in alterâ verò sola nominis enunciatio Strategum conuiuio facit. Et mirum, ni eodem à Plauto allusum in Milite, vbi item de Seruorum conuiuiis agit Periplectomenes:

Atque adeò, vt ne Legi fraudem faciant Talariæ,
Accuratote, vt sine talis domi agitent conuiuium.

Vide quæ ad illum locum dicturi sumus posteà. Habes deinceps:

PAR. *Si non didicisti fullonicam*
Non est mirandum.

Ita enim Editiones tàm veteres quàm nouæ. Ego tamen *Fulloniam* mallim. sic *Histrioniam* potius, quàm *Histrionicam facere*, idem in Amphitruone dicendo vsurpauerat anteà, Latinâ formatione, non Græcâ.

Addam vnum de dictis melioribus Parasiti Plautini iocantis in re trepidâ, præter speciem atque ætatem iuuenantis, ne dicam catulientis Demęneti, ab vxore in lustris, hoc est, in ganeo, locoque latebroso, ac libero manifestissimè apud amicam deprehensi: ac propterea Pollinctore seu Libitinario indigentis, qui decrepitum ac capularem Senem, iamque adeo Iunonis suæ interuentu, nimio simul tum pudore, tum metu modò non ad mortem datum, cadauer verius, quàm hominem, eluendum, commundandum, vngendum, atque exornandum suscipiat, ex more funeribus curandis faciundisque adhiberi consueto antiquitus. cui confinis prorsus vrbana illa Petroniana Circes irrisio, Poliæni amatoris sui (qui de thoro eius sine voluptate surrexerat) *membra sine viro*, hoc est, *lorum in aqua, non inguina, aut neruos*, huiuscemodi conuicio exagitantis:

Narrabo tibi adolescens: paralysin caue. numquam ægrum tam magno periculo vidi. medius fidius iam peristi. Quod si idem frigus genua, manusq; tentauerit tuas, licet ad tubicines mittas.

Vb

Vbi & hoc in transitu admonendum, *τὸ Mediusfidius*, quamuis iurisiurandi specie primâ fronte intuēti positum videatur, nescio quid vernilius tamen ac Petronianum magis in recessu habere conditum: atque ad *mediam partem* illam, quâ viri sumus, vocabuli multò honestissimi ambitu obnuptum, applicari posse *Haud sanè illepidè, nec inuenustè.*

Hæc nos nauci non esse, adeoque tricis, atq; apinis viliora ingenuè confitemur publicitus: & tamen huiusmodi, vt Lectori haud nimium laborioso moræ molestiæq; plurimũ obiicere inter legendum possint. Proinde ea in medium dare ausi fuimus, non (Iuuentus vt solet) inani gloriæ cupiditate adducti; verùm potius vt comitate & prothymiâ hâc nostrâ aliorum porrò studia, atque ingenia excitemus. Quod si consequamur, abundè nobis satisfactum putabimus. sin; sic nos etiam lubidini nostræ morem gessisse haudquaquam pœnitebit.

AD AVLVLARIAM.

CAPVT X.

Plautinæ Aulularia commendatio. Inibi BONÆ FORTVNÆ *mentionem ad* Charientiſmũ *Diomedis accommodandam videri. Lambini fruſtrationes retectæ reiectæq́ue.* Follem obſtringit ob gulam. Inferior guttur *pro* pygâ Horatianâ.

ITA me Diî Deæq́ue omnes amaſſint, vt quidem ego Plauti Aululariam maximi feci ſemper; eamq́ue adeò præ cæteris dignam cenſui, quam non modò Iuuentus hæc noſtra, verùm etiam ætas omnis ſtudioſiſſimè expeteret; nec vnquam de manibus deponeret. Neque id adeò iniuriâ. Nam præter dictionis genus verè Romanum, tota Ethica eſſe, & ad pudicos (vnum alterúmve locum exceptes modò) honeſtoſque mores facta videri poteſt. Quî enim aliter, obſecro, induci poſſim, quàm diu in animo habeo tot ſingularias ſententias, tantum exem-

exemplorum denique ad vitam rectè atque ordine instituendam conducentium? Atque vt alia hîc compluria studio breuitatis præterfluere sinam, quid Megadori sermonibus consideratius vel prudentius fingi potest? eâ præsertim Scenâ, vbi grauissimas istas in magnis dotibus incommoditates, sumtusque Matronarum intolerabiles ob oculos spectatoribus ponens, nimis sanè lepidè verba facit ad parcimoniam. Quæ quotiescunque legere ac ruminari est copia, idem ferè vsuuenire comperior mihi quod ibidem Euclioni nostro, vt metuam videlicet, ne desinat memorare mores mulierum. Atque vtinam sarta tecta, ac proinde vti in Scenam Romanam à Poëtâ introducta fuit, in manus porrò nostras peruenisset. hoc ita si foret, faxim leuiore aliquando inuidiâ Plautus vtatur, quàm vtitur; minoreque adeò fastidio à plerisque lectitetur. Nunc in tantâ mendarum ac vitiorum segete, bonâ insuper Comœdiæ parte amissâ, tædium legenti subinde obreptare necessum est; non dico mihi, cui mel me-

rum eſt, tantumq́ue non pro cibo Lepos orationis Plautinæ; ſed iis moroſis, imò imperitis potius, qui ſoli ac ſine riuali ad Genium ſapere videntur ſibi; quiq́ue nihil adeò niſi ad ſuum ſtomachum quod facit, vnctum ſatis aut lautum putant. Et tamen, ne quid diſſimulem, ſunt in eâ quædam haud ſatis ad concoquendum facilia, non quidem Poëtæ ipſius vitio, ſed verò ſciolorum audaciâ, an peruerſitate interpolantium ſcripturas. quorum contagionis labes ad ſecundæ quoque in hâc Fabulâ Scenæ locum permanauit. Nam vbi Euclio ait, inuitiſſimum ſeſe, nimiſq́ue adeò aduorſus animi ſui ſententiam pedem eliminare ex ædibus, ob nimiam curam ſcilicet, improbamq́ue animi anxietatem, quam prò *Aulâ* illâ ſuâ perdius & pernox ſordidiſſimus Senex habebat: *cæterùm ſcire quid agat*, neque temerarium aut de nihilo eſſe, quòd in publicum ſubinde prodiens conſpiciatur; à legitimo Tribûs ſuæ Diuiſore (quem *Diribitorem* perhibet Cicero) vnà cum reliquis Curialibus nummulum petiturus: quo abs ſe om-

ſe omnes videlicet ſuſpiciones de theſauro reperto ſegreget quàm longiſſimè: deprauata Camerarianæ Editionis ſcriptura Lambinũ porrò in fraudem errationemq́ue induxit. cuius equidem compendium me manuductore maximè Iuuentus aliquando vt faciat, locum reſcribundum cenſeo hoc modo:

Nimis hercle inuitus abeo: ſed quid agã, ſcio.
ſententiã eã quam dixi. Quid? quod mecum faciunt Editiones iam olim exoletæ? Neque illud minus admonendus Lector, haud vtique ſatisfacere nobis enarrationem Lambini, eo loci, vbi Staphyla Anus hero Euclioni; quoniam is ædes ſuas ſe abſente ità, quaſi Manlianâ habitâ Edictione, omnibus occluſas, obſerataſq́ue eſſe iuſſerat, vel vſque eò, vt ne *Bonam* quidem *Fortunam* ad ſe intromitti velle diceret: vrbanè nimis, ac Comœdicè reſpondet, pol eiuſce rei periculum non eſſe: etenim pro certo ſe credere cautionem & quidem paratè ab HERA illâ RESPICIENTE adhibitam iampridem, ne ad Senem triparcum adeò, ac ſordidum

didum in hoſpitium diuortere vlla porrò vnquam aut lubido ipſi aut neceſſitas eueniat. cui perſuaſioni ſuæ hoc argumentum dicit:

Nam ad ædes noſtras nunquam adiit, quanquam propè eſt.

Vnde Lambino oborta ſuſpicio, *propè ædes Euclionis aut Templum, aut ſignum certè aliquod fuiſſe* BONÆ FORTVNÆ. Nodum in ſirpo. quùm ſimpliciſſimè accipiendum: vt innuat Staphyla, Deam illam Largitricem ne id quidem Euclione dignum habere, cuius domum non dico introire, ſed neque adire ſaltem, aut reſpectare ſuſtineat vel ſemel: ſæpe etiam quanquam prope ſit, imò in viciniâ eius fortaſſe, ipſam tamen oculo irretorto oppidò, curſuque haud vnquam intermiſſo limen Euclionis raptim præteruolitare aſſiduè. Cæterùm cur BONAM FORTVNAM potius, quàm aliam Dearum quampiam nominitarit Euclio, in quæſtionem video trahi poſſe. cui per tempus vti occurratur, aio hoc ipſum haud aliò magis, quàm ad priſci illius ſæculi conſuetudinem, ac publicam loquendi formu-

formulam detorquendum. Eam inquio, quam ex fugitiuis Diomedis Grammatici ſanctuariis eruiſſe videor mihi, ità pòl nobis Charientiſmi Figuram definientis. *Charientiſmos eſt, quo dura dictu gratius proferuntur, vt interrogantibus nobis: Nunquis nos quæſierit? reſponſum detur;* BONA FORTVNA: *exinde intelligitur, neminem nos quæſiſſe.*

Inter cæteras autẽ plus quàm Poëticas Hyperbolas, quibus Comicus hic noſter triparcam Euclionis auaritiam inſignem facere amat; narrat, ipſum, *quoties dormitum recipit ſeſe, follem obſtringere ob gulam, vt nequid animæ, id eſt, ſpiritus fortè per ſomnum imprudens amittat ſcilicet.* In cuius rei enodatione, incredibile eſt memoratu, quàm fruſtrà fuerint interpretes noſtri Plautini; imò verò præ cæteris Lambinus, qui vaniloquis aliorum dictis acceptor, *Gulam* prò *Fiſtulâ Follis*, quo quidem etiamnum hodie ignem accendi mos eſt; ſiue adeò foramine per quod ſpiritus vel anima efflatur, accipiendum autumat; præter haud dico meam, ſed Poëtæ ipſius ſententiam; quem non de ventoſo, ac

Lambi-

Lambiniano isto Vulcani-suscitabulo, verùm potius de *Folliculo scorteo* (quem Macrobius *Fundam*, Vegetius cũ Plauto *Follem* indigitat solens) hoc est, sarto consutoque probè nummorum receptaculo, disertè loqui, confirmant ea quæ ordine deinceps consequuntur. Ait proinde Comicus, Euclionem ità prodigiosè parcum, ac sordidum viuere, vt priusquam cubitum receptet sese, follem sibimetipsus suum, hoc est, sacculi genus ex alutâ, corióve confecti obstringat ob gulam, suam dico, non *follis*. Quid opus est verbis? τὸ *Gulam*, iugulum, fauces, siue gutturem ipsius Euclionis interpretor, per quod sibi imprudenti (id quod per somnum vsu venire solet) animæ spiratui exitum aut effugium esse nullus sanè vult callidus: metuens videlicet, ne de eâ ipsâ inter dormiẽdum deperdat quidpiam. Quod quidem omne planius vti fiat, locum integrum Lectori discutiendum proponam.

Quin quòm it dormitũ, follẽ obstringit ob gulam.
COC. *Cur?* STR. *Ne quid animæ fortè amittat dormiens.*

COC.

CO C. *Etiámne obturat inferiorem gutturem*
Tum, nequid animæ fortè amittat dormiens?

Quò & hoc quoque loco notandum, per *Inferiorem gutturem* eâdem ferè metaphorâ, quamuis impropriè, (honos sit auribus) *Anum* siue *Podicem* designari, quâ apud Priscum (Censorium illum Catonem inquio) *Superiorem aluum* deiicere, hoc est, stomachum, siue adeò ventriculum nauseâ grauem vomitu leuare atque exonerare, scriptum reperitamus. *Superiorem* enim ad discrimen *Alui inferioris*, qui propriè *venter* perhibetur, positum. quemadmodu contrà, *Inferiorem gutturem*, hoc loco ad differentiam *Superioris*.

AD

AD AVLVLARIAM.

CAPVT XI.

Cocus nundinalis. *In eiusdem dicti explanatione Lambinus cum repudio dimissus.* LIPSIANÆ *Auctoritati tùm* SCALIGERÆ *subscriptum.* Nouendialis Sacri *cum* SILICERNIO, *seu* Feralis Epuli *confusio sublata: Ouidio lux impartita.*

EADEM Scenâ Megadori nuptias apparantis Seruus Strobilus non sine obsonio ac cocorum pompâ stipatus, introducitur, Anthracem cum Congrione interrogans, vter ipsorum celerior fiet tandem: cui cùm Congrio prior respondere occupasset, se haud paullò meliorem, proinde & celeriorem esse; alter (Anthrax inquio) ambitiosam hâc congerronis sui insolentiam non ferens, simul gratiæ referendæ paratus; illum *Coquum Nundinalem* cluere prædicat: additâ insuper abs se tam nebulosi dicti explicatione:

Cocus ille nundinalis est, in nonum diem
Solet ire coctum.

Quibus verbis Lambinus non quidem tarditatem coci (proinde vt aliis placet) aut segnitiem; sed verò ignobilitatem eius atque imperitiam sugillari existimat, ideoque *Nundinalem*, siue adeò *Nouendialem* facetè appellitari, qui nono quoq; die modò, hoc est, Nundinis solis, quum plebes rustica ex agris ad Leges quæ promulgatæ fuerant, cognoscendas, & ad mercatum in vrbem conueniebant vndique; ob pretij vilitatem conducatur, reliquis octo diebus in macello ferietur, quasi vnus *obsessor fori* scilicet. Promptè quidem ille: neque mirum; quippe Alciatæ, hoc est, alienæ potius, quàm suæ ipsius mentis succidaneus Interpres factus. cæterùm ego haud paullò argutiorem sententiam subesse auguror: vt tametsi ad quæstum illum Nundinarium, ob frequentes agrariorum confluges coquino huic generi id temporis in Vrbe obuenire solitum, allusum videatur à Comico; tectè tamen & quasi per transennam Congrionem istum Bustuarij ordinis

ordinis coquum esse, intelligi velit. quem nos *Semirasum vstorem* cum Catullo indigitare possumus, qui mortuis cænam coqueret, hoc est, qui recens iam ad rogum elatis, pyræque suppositis modò, hoc officij præstaret, vt cænam illam feralem, epulasque funebres Vstrinæ siue busto (quem locum Culinam antiquitus vocitatã docuit nos Festus) vnà cum ipso cadauere cremandas, largiter porrò aceruatimque iniiceret, panarias putà, escariasque struices plusquam decumanas scilicet, thure, myrrhâ, oleo denique, nulloq; non odorum & aromatũ genere condiendas porrò ab iis, ad quos parentandi siue exequiandi ius, curatioque spectabat: *iisdem nempe ignibus* (vt quidem doctè Tertullianus argutatur) *& promerentes pariter & offendentes Carorum suorum funera*: Cœnamque istiusmodi condigno SILICERNII vocabulo insignientes, quod videlicet *Silentes eam cernant, id est umbræ possideant; vel, quod qui hæc inferant cernant, neque degustent*. vti clarè in Adelphorum tractatione præitum nobis à Donato. Quod quoniam nono

demum

demum die fieri sollenne erat (vnde & *Nouendiales pulueres*, apud Horatium, *dissipatos* legimus) caussam ioci Comico huic nostro præbuisse videtur, vt Coquum Nundinalem diceret Congrionem, quem insubidum prorsus atque imperitum, tantòque ad viscerationes illas Nouendiales, & inconditos *Culinæ* mortualis apparatus, quàm ad ingeniosæ gulæ Genium sapiẽtiorem esse, videri cupit Strobilus; quantò proclìuius est vilissimo illo Vstoris munere defungi hominem mercenarium, quàm quæsitam sollennem coqui operam, aut condignum Archimagiro officium præstare ad Nuptias. Auctor sententiæ istius vnicus, imò potior fundus Doûsæ Festus Pompeius. nec Doûsæ modò, sed verò & Duûmuiris illis omnium mortaliũ expertissimis, SCALIGERO inquam ac LIPSIO meo, quorum quidem ego nuperas ac nouitias Auctoritates haud minoris sanè, quàm veterẽ illam ac Pompeianam, faciundas censeo. Quibus si quicquam insuper astruendum putarem, nullum aliud huicce rei vtique accom-
 modatius

modatius ducerem, quàm exemplum istud ipsius Poëtæ è Pseudolo; non exemplum, verùm hercle interpretamentum loci superioris, explicati à nobis modò. Id verò sic habet:

Nam si ego iuratus peiorem hominē quærerem,
Coquum non potui, quàm hunc quem duco, ducere,
Multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem.
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,
Vt esset hic, qui mortuis cœnam coquat.
Nam hic solus illis coquere quod placeat, potest.

Atq; equidem, cùm recogito, vnum venit in mentem mihi, dubitare scilicet; *Silicernia* ista *Nouendiáliane* fuerint, an *Denicalia* potius, id est, vtrùmne ad *Fercula illa Funerum*, quæ (vt Probus tradit) ad rogum delata pariter cum ipso defuncto cremabantur (vnde & *Feralis cœnæ* meruerint appellationē) an verò ad diem proximè sequentem, qui *Feriarum Denicalium* nomine colebatur, pertinuerit hoc Epulationis genus, ad Funeris contagionem procurandam repertum, hoc est, ad domum familiamque certo genere Februi, quod vocabant

bant EXVERRIAS, perpurgandam expiandamque, ritè atque ex prisco Pontificum instituto. Priorem sententiam si sequimur, quidnã ad hancce Festi definitionem responsuri simus, nullus equidem dispicio:

Silicernium erat genus farciminis, quo fletu (quoius esu legendum, de Fruterio olim adolescentes didicimus) *familia purgabatur. dictum autem Silicernium, quia, cuius nomine ea res instituebatur, is iam silicem cerneret. Cæcilius: Credidi Silicernium eius me esse esurum.*

De cuius Testimonij auctoritate, nec non certissimâ illâ Fruterij restitutione, hoc etiam cognoscimus insuper, *Cœnam istam Sepulchralem*, mortuorum quidem tumulis apponi, siue inferri potius; cæterùm à viuis ac superstitibus absumi, ne dicam abliguriri, solitam. Cui rationi nostræ propemodũ succentat Nonius, nisi quod ille, *proprietate verbi* (de se si creditur ipsi) *paullò pressius excussâ, Silicernium istud, conuiuium esse vult funebre, vnis senibus modò exhiberi consuetum, vnde Meleagris scripserit Varro: Funus exsequiati laui è ad sepulchrum antiquo more Sili-*

cernium confecimus, id est, περίδειπνον (Cuiacianam correctionem sequi me scito) *quo pransi discedentes dicimus alius alij, Vale. Vbi* περίδειπνον haud inscitè *Circumpotationem* interpretabimur, prò conuiuio funebri, quòd ante funeris elationem in orbem biberetur. Cuius moris vocisque meminit & Cicero II. de Legibus, ex conceptissimâ illâ XII. Tabularum Formulâ: VTI SERVILIS VNCTVRA OMNISQVE CIRCVMPOTATIO TOLLATVR. Quæ quidem argumenta in vnum conglobata faciunt vt Inferias illas Nouendiales,

Parentalia fercula illa; lignis
Infælicibus vri, & in fauillas
Ac fumos, cineresque abire suêta;
Diuersa à Silicernio fuisse,

verè vtique ac iure persuadeam mihi: ambigam tamen haud iniuriâ, vtrò demum locum illum Tertulliani, à doctissimo Lipsio fidei caussâ in Corneliano Commentario prolatum, referundum atque accommodandum autumem potissimum:

Vocas securos mortuos, si quando extra portam

tam cum obsoniis, & mattiis tibi potius parentans ad busta cedis, aut à bustis dilutior redis.

Nam ad *Silicernium*, quî pote, si quidem aut Donati, aut GLOSSARII illius VETERIS, à Ios. Scaligero dilaudati, sententiam, sententia est sequi? quibus funebre hoc quidē conuiuium fuisse conuenit, Manibus defuncti ab exequiis oblatum, sed quod *cernere silentio* tantùm (vnde & etymon nomini) non etiam degustare fas esset parentantes; ab hac caussâ, ne funestarentur: persuasi piacularem scilicet, pipuloq; ac publicæ execrationi obnoxium reddi, quisquis eorum quæ Diuis Manibus libabantur, furtim inuolare, seu tuburcinari quidpiam in animum induxisset suum. Vt vt est, Ouidiana quoque illa Feraliorum commemoratio ab hâc *Silicernij* descriptione aliena sanè videri non debet. Sic igitur ille II. Fastor.

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Paruaq; in exstructas munera ferre pyras.
Parua petunt Manes, pietas pro diuite grata est
Munere, non auidos Styx habet ima Deos.

Tegula porrectus satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, paruaq; mica salis.
Inq; mero mollita Ceres violæq; solutæ:
Hæc habeat media testa relicta via.
Nec maiora veto, &c. Et mox:
Nunc animæ tenues, & corpora functa sepulchris
Errant: nunc posito pascitur umbra cibo.

Vbi *Pyras*, Vstrinas illas in sepulchretis interpretor, quas monumentis ipsis *Silicernio* coquendo applicitas, *Culinarum* titulo venisse, à Ios. Scaligero iam inde à Catullo eius publicato didicimus. Quibus omnibus, tum singulis lux ab Honorati Commentariis fœneranda, *Silicernij* originationem à *Silice* deriuantis, super quâ escis mortualibus positis, vino defuso, rosisque sparsim profusis Sacra illa quotannis instaurari solita, prisco Quiritium ritu, idem nobis solidissimè persuadet. *Testam* proinde, siue *Tegulam*, in Ouidianis versibus sirempse planè cum Seruianâ *Silice* esse, quis hinc non videt, nisi qui ipsus sit silex?

AD AVLVLARIAM.

CAPVT XII.

Aliud esse, Libare Cereri, Festumque annuum Ambarualiorum occasione instaurare; *aliud,* Nuptiarum eius memoriam, *hoc est,* Eleusiniorum orgiorum concelebrare Mysteria: *inq; vtriusq; Sacri ritu (praeeunte Seruio, facemq; Dea illius Tadifera ritè nobis quasi adlucente) & Macrobij, & Lambini hallucinationes detecta. Ab eodem discessio facta in duorum eiusdem Scenula locorum exegesi.*

SCENA, cui initium: *Heus Staphyla prodi, atque ostium aperi.* miris modis sese torquet Lambinus in verborum istorum enodatione:

STA. *Cererine Strobile istas facturi nuptias?*
STR. *Quî?* STA. *Quia temeti nihil allatum intelligo.*

Nodumque inexplicabilem obiectum fatetur sibi, Censoriâ Catonianæ

nianæ disciplinæ obiectione in fraudem, imò in latam culpam inductus scilicet: qui capite c x x x i v. Rei Rusticæ, *Exta Cereri, vinumq́; insuper addendum* præceperit. Et vix illuc tādem delabitur vt credat aliū in hac re Graiorum, alium Romanorum fuisse ritum: neque illorum opinionem reiectandam, quibus Cererem eandem planè cum Vestâ, seu potius Terrâ esse persuasum; autumat. Sed enim ille incautus, nec præter solitum Trico; incautus vtique, qui in lectione veterum vsque eò indiligenter fuerit, vt ignorarit rei istiusce controuersiam iampridem ab Honoratæ prærogatiuæ viro, Seruio inquam, perpetuo potius, quàm arbitrario iure decisam:

Vt contrà si quis sentiat, nil sentiat:

in loci illius Virgiliani propugnatione:

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret
Cui tu lacte fauos & miti dilue Baccho.

Quo loco prò *Dilutis* istis principis Poëtarum *Fauis*, caussa acerrimè dicta; exemplumque hoc ipsum de Plautinis θεσμοφορίοις depromptum minus nihilo facere ad aduersariorum obstri-

gillantium

gillantiũ calumnias, disertissimè ostensum. Neque enim de *Libatione* aut *Sacrificio ritè in honorem Cereris peragendo*, agere id loci Poëtam nostrum: verùm potius de *Nuptiis Cereri celebrandis, in quibus reverâ vinum adhiberi, religio planè erat ac nefas, vt quæ Orci Nuptiæ dicebantur, quas præsentiâ suâ Pontifices ingenti solennitate celebrabant.* Et hæc quidem Honoratus ille noster quem dixi, ob filiam (vti credibile) matri per vim ereptam, Orcoque raptori, siue Diti (id quod Poëtis placet) Acheronticis Nuptiis multò teterrimis copulatam. Sed neque Pontificalium librorum cautione

Lepidißimum istum Liberi patris florem à Magnis illis ac sollennibus huius Deæ Sacris, quibus ritè faciundis XII. illos Fratres Aruales præfuisse comperimus, exesse vnquam aut emanere iussum, idem more suo planissimè iuxta ac scientissimè ostendit. Quarum Feriarum amænissimas festiuitates, vereque Ambarualem licentiam cum nocturnis θεσμοφορίοις istis, hoc est, cum reconditissimis Initiorum mysteriis, ac Ceremoniis confundas

caue: Ceremoniis dico, quæ ob amiſſionem Proſerpinæ à Baptis ac Matronis ſummâ cum religione ac ſanctimoniâ de noctu quotannis celebrabantur. Nihil enim alienius aut abſurdius. Siquidem hæ ſollennitates abſtemiæ prorſus ac ſine temeto, ex qua θυσίαι νηφάλιοι Graiis Eleuſiniorum Auctoribus indigitatæ; ad quod hoc loco reſpexit etiam Poëta noſter: illæ alteræ cõtrà feſtis rurantium plauſibus, iubilis, cantibuſque perſonare, liberâque ac inconditâ quâdam agrariorum Cereri vitulantium laſciuiâ, multâque potus intemperantiâ, ne proluuie dicam, diffluitare conſuetæ. Qua de re plura qui volet, v. Præcidaneorum meorum Caput ad Tibullum conſulito. Sed enim nos ad cœptam Staphylæ interrogationem conuortamur denuò, in quâ raram quoque decori obſeruationem mirari, ſanè haud leuiter ſubit, nuſquam (licet Inuidiâ audiente ac gemente hoc dicam) temerè à Comico noſtro aut incogitanter neglectam: nedum in perſonâ anili: quod quidem genus ille multibibum

ferè ac merobibum inducere amat, ne non antiquum obtineat solens, aut ab ingenio vel latum vnguem vspiam discedat suo. suo dico? imò verò Cascarum potius, quæque eius ætatis sient, quam vetustate edétulo (vti ipsæ edentulæ sunt) vino dico irrigare, quarumque adeò pantices nocturnâ ac diurnâ amystide perfusum ire largiter, ne dicam inundare oporteat assiduè: nihil quicquam peius odio habentium sibi, quàm Legem illam *Romuli*, quæ *temeto carere iubet omnes mulieres*. Et scitum est vernaculum illud nostrum, quo vulgò dictitare consuemus, **Oude leersen behoeuen veel smeers**: hoc est: Ocreis situ ac vetustate randicis murcidisque, imò verò mucidis, multâ demum adhibitâ adipe, an aruinâ opus esse.

Siremps porrò inficetia in alterius quoq; eiusdem Scenæ loci Dionysiacâ expositione cõparet. nam vbi stomachosæ castigationis responso Strobilum retundit Staphyla:

Quid impurate, quanquam Vulcano studes,
Cana'ne causâ, aut tua mercedis gratiâ,
Nos nostras ædes postulas comburere?

huius-

huiusmodi (si Diis placet) interpretamentum ad secundi illius erotematis caput subdit Mōstroliensis hic noster. *Tuæ mercedis gratiâ, id est, vt incendium ædium nostrarum sit tibi pro mercede?*

Ridiculè. quasi verò difficile fuerit diuinare, de manupretio, hoc est, de nummi illius binos circiter aureos nostrates pendentis mercede, quâ vnà cum discipulis suis, ad cænam Nuptialem apud Euclionem coquendam, anteà à Megadoro cōductus fuerat Congrio, loqui Euclionis Ancillam? quæ tametsi non Srobilo, sed Cocis illis prò locatâ operâ persoluēda esset denique; tamenquoniam seruū illum Lyconidis huic coquinali prouinciæ, quo videlicet Cōgrioni reliquisq; discipulis eius, quid in re præsenti agēdum, quidq; obsonio faciundum fiet, præscribat atque præmonstret, præfectū videt Staphyla, eumpse velut in partem quoque eius pretij venturum sciscitatur callida: an tantilli lucelli gratiâ, quod prò coctâ demum cænâ pendendum foret, *ædes se heriles postulet comburere?* cuius rei periculum sanè haud mediocre futurum videbatur,

debatur, si quidem Strobilus asseres, scandulasque omnes, hoc est, fissiles plancarum, laminas ac tabulata domûs, lignorum inopiâ, ad Vulcani violentiam ire appositum porrò perpetraret atque pertenderet, succidanea prò lignis subdenda scilicet. Meritò proinde *Tuæ mercedis gratiâ*, inquit; quam quidem ille nullo porrò iure auferre poterat sibi, nisi coctâ prius cænâ. Cæna autem madere, probèque percoqui haud poterat absque operâ Vulcaniâ, sociique ritè splendentis luculentitate, cui dapticè ac genialiter exstruendo haud pauxillâ sanè lignorum strue, aliâque consimili materiâ opus fore homini præsertim Coco ad Nuptias, longæ ætatis vsu compertissimum habebat Staphyla: neque aliter huiuscemodi Sacra constare. Vt vt est, ex *Incendio* certè illo *ædium Euclionis*, quòd à Lambino nobis conflatum, quidnam emolumenti, aut lucri Strobilo obuenire potuerit, haud sanè video. Coquorum autem mercedem manifestè significari præter alia plus satis argumento esse poterant verba illa, *Quan-*

quam Vulcano studes, hoc enim cõuitium, incredibile est memoratu, quantopere in coquini illius contubernij sordem fæcemque conueniat. cui quum *Impuritiæ* opprobramẽtum præmiserit Anus multo scelestissima, à MAGIRO Strobilum (sicuti in Fescenninis est) CONCISVM, stuprisque intercutibus flagitatum rectè videtur innuere: imò tantas eius impuritias esse, vt ne ignis quidem ille, cuius penetrabili virtute solidissimorum quoq; corporum metalla defæcatiora, ac puriora concinnari, sordesque omnes intestinas excoqui, ac recrementa penissimè absumi videmus, iisce ipsis, vllo porrò tempore expiandis, purgandisque sufficiat, tametsi eum (ignem dico) colat ac tractet solens, domiq; inter coquos Tardipedi Deo operetur assiduè, dum in culinâ, hoc est, in Præfecturâ suâ focariæ prouinciæ impositus versatur. Desinat hîc proinde fluctuare Lambinus; & *Quanquam* illud, ἀντὶ & *Quoniam* nescio quâ auctoritate fretus,

Obtrusum nobis ire supersedeat.

A D

AD AVLVLARIAM.

CAPVT XIII.

Quantum poteſt. Sandaligeruli. Calcularij. Cerinarij. Cedere, prò Incedere. *Locorum aliquot inter ſe conlationes facta.* Fundis exornatæ. *Attributa Militi pecunia.*

EADEM Fabulâ aliquantò poſt, vbi Anthrax cocus, non quidem Sociennis, verùm diſcipulis ſuis Edictionem ſatis prò imperio habens, & viritim ſua cuique didens ac diſtribuens munia inducitur:

Dromo deſquama piſces, tu Machærio
Congrum, murenam exdorſua, quantū potes.

haud placet alterius Senarioli clauſula, putoque non hîc modò, ſed enim vbicunque apud Plautum, *Quantum potes*, legitur, in *Quantum pote-ſt*, commutandum: id eſt, quamprimum, & quidem celeriſſimè, fieri poteſt. Loquutio Plauto, tùm priſcis illis nimis oppidò quàm familiaris.

Ancillas, mulos, muliones, pediſſequas, Scenâ: *Narrant amici*
Salutigerulos pueros, &c.

Vltrò

Vltrò à me *Salutigerulos* iſtos. & quantò meliori vſui matronis noſtri *Sandaligeruli* futuri? quibus *Salutigerulos* iſtos commutari quid vetat? Plautinæ potius quàm Apuleianæ auctoritatis fiduciâ ſuffultis; quam quidem ego pluris æſtimo, quàm quindecim coniectorum ſententias. Eius enim in Trinummo manifeſtò hæc ſunt verba:

Veſtiſpicæ, vnctor, auri cuſtos, flabellifera,
Sandaligerulæ. quod genus hominum etiamnum hodie noſtris matronis in vſu eſſe conſueuit, vernaculo ſermone dictum, Trippedragheꝛs/ad eundem nempe modum compoſito, quo *Sanduligeruli* iſti Plautini: quos facilè locum & ius ſuum ad *Salutigerulos* illos obtenturos ſpero. & certè, vt quod res eſt fabuler, non video quidnam ad vulgatæ ſcripturæ lectionem propius accedere poſſit.

In eâdem Scenâ cum *Violariis Carinarios* à Megadoro introduci videmus; qui quidem poſtremi mihi atque oculis meis æquè ignorabiles obiiciuntur, ac Charmidi Plautino Sycophanta ille Trinummius: nec mihi ſolùm ſed verò

& aliis:

& aliis: quibus quùm minus benè cum *Carinariis* istis conueniret, placuit reponi *Caltularijs*, à Caltúlæ nimirũ colore. Quod quò procliuius adducar vt credam, facit eapse illa Plautina auctoritas, ita in Epidico suâ apertè scriptitantis:

Indusiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam.

Quem locum si quis cum hoc ipso paullò diligentius conferre, pressiusq; considerare voluerit, næ ædepol ille præter fructũ cum operæpretio quod faciet, voluptatem haud mediocrem sanè meo iudicio est reportaturus. Etenim hîc *Patagiorum, Indusiariorum*, tùm *Crocotariorum* manifestè expressa mentio. Quò item applicare possis Næuianum illud ex Nonio:

Pallis, patagiis, crocotis, malatiis, mortualibus.

Quo loco prò *Malatiis*, *Malaciis* emendandum videtur, subscribente coniecturæ huic nostræ altero Poëtæ testimonio è Bacchidibus, vbi ab eodem fonticulo *Malacum pallium* deriuatum reperias, à *Colore Maluæ* scilicet, quam & μαλάχην, & veteribus μολόχην vocita-

tam docuit nos ex Athenæo flos ille Germaniæ suæ, imò vniuersæ adeò Europæ ornamẽtum Camerarius noster. Alij, atq; in his Turnebus, Dionysiusq; ductore ac doctore Baptistâ Pio, non *Caltularios*, sed *Cerinarios* prò *Carinariis* Plauto condonauêre: à *Cerino* nempe, quod vestimenti muliebris est genus, ità à *colore cereo* appellatum antiquitus. Auctor Nonius, cui Ouidianum illud ex Arte etiam accedit insuper:

Et sua velleribus nomina cera dedit.

Quam lectionem temerè labefactare non ausim, tot ac talium præsertim virorum præiudicatâ quasi opinione fundatam, constabilitamque.

Cæterùm hic quoque nobis obiter admonendus Lector, malè lectitari vulgò in postremis Ioachimi nostri editionibus:

Ibi ad postremum redit miles, æs petit.

repugnante nimirum numerorum ratione, & (quod grauius argumentum videtur) exẽplaribus ante annos octuaginta excusis, in quibus planè & probè etiamnum impressum legimus:

Ibi ad postremum cedit Miles, &c.

Quod

Quod cuiusmodi sit, declarat nobis ipse Megadorus protinus eodem ferè in loco, quum ait:

Incedunt infectores crocotarij:

Idem enim esse istîc, *Incedunt*, quod illic *Cedit*, neminem porrò inficias iturum arbitror, qui vel micam saltem antiquarij salis possideat, & qui sciat *Simplicia* passim pro *Compositis* frequentare, & item contrà, sollenne habuisse Latinos scilicet. Cor probat hoc Enni, scribentis manifesto:

Cedunt ter quatuor de cælo corpora sancta.

Sed enim mirari possit aliquis (de me ipsus coniecturam facio) quidnam cum Dotatis Matronis negotij intercedat homini Militari, nisi omnem rem hancce planam iam anteà omnibus suo indicio fecisset Marcus ille Terentius in dictione *Tributum*, lib. IV. de Ling. Lat. Qui si cui non sat idoneus ad plenam huiusdem loci declarationem explanator videbitur, cum vero ad Epidicum se conferre melius fuerit. Sed verò demam potius ac deminuam illi hunc laborem, si fortè tantilli oneris inuestigatio molesta ni-

mis ipſi, ac negotioſa videri poſſit. locumque integellum, proinde vti in optimâ illâ Camerarij Editione procuſus extat, Lectori de plano ob oculos proponam:

Scenâ: St, tacete.

Quaſi non fundis exornatæ multæ incedant per vias;
At tributus quùm imperatus eſt, poteſſe pendi negant. [poteſt.
Illis, quibus tributus maior penditur, pendi

Vbi notandum *Fundis exornatæ* prò Fundorum pretio à Poëtâ poſitum videri, ex ſententiâ Propertij maximè:

Matrona incedit cenſus induta nepotum,
Et ſpolia opprobrij noſtra per ora trahit.

tum Ouidij ſcribentis in Arte:

Quis furor eſt, cenſus corpore ferre ſuos?

Ad ſuperiora porrò Varronis verba pertinet & locus iſte Liuianus lib. 1. Decad. 1. in vitâ Seruij Tullij:

Ad equos emendos dena millia æris ex publico data: & quibus (f. qui) *equos alerent, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent. Hæc omnia in dites à pauperibus inclinata onera.*

Video hîc mihi ſtatim obiectum iri, actum me agere, tritumque & calcatum

tum anteà Lambini vestigio callem insistere. Haud infiteor, mi Lector, hactenus quidem, quod ad illam nunquam satis laudatam Varronis auctoritatem attinet, qui vtrique nostrum semitam primus ad Plautinæ sententiæ inuestigationem aperuit solens, cæterùm gradu ac successu dispari. Quid enim? Lambinus hanc Pecuniæ attributionem ad Maritum dotatæ istius Iunonis pertinere hariolatur, quem propterea *Tribunum* (si Diis placet) *Ærarium* concinnat nobis: subiicitque porrò; non petiturum ab eo alioqui pecuniam Militem. Ridiculè, ac præter mentem Poëtæ nostri, cuius explicationem pluribus persequi in præsentia supersedebo, tergeminis illis Auctoritatibus contentus, quas repræsentaui iam modò.

Sequitur in eâdem Aululariâ Euclionis cum Megadoro congressus, cui quidnam ageret sciscitanti hunc in modum respondet Euclio:

Nimium lubenter edi sermonem tuum.

Ita enim princeps hunc versum ex Codicibus M s c^tis^ nauè ac fideliter

 restituit

restituit Ioachimus nobis, quùm anteà in omnibus exemplaribus legeretur:

Nimium lubenter audiui sermonem tuum.

contrà legem carminis tum venustatem dictionis Plautinæ. Cæterùm illud: *Edere sermonem*; nemo insolens aut nouè dictum existimare debet: de iis loquor quibus noua non est, aut Comici nostri, aut etiam Marcelli lectio, disertè docentis non solùm cibos gutture, sed vocem auribus etiam deuorari. Quorum duorum pariter ac singulorum cõsensui transmarinum quoque istud âb Aristophane Comico Græcâ Fide testimonium superadstruas licebit è Batrachis:

μάλλα γ' ἐποπτεύειν δοκῶ
ὅταν καταράσωμαι λάθρα τῷ δεσπότῃ.

Id est, vt cum Poëtâ nostro interpreter: Istuc cibus mihi est, siue, id habeo prò cibo, hero absenti conuicium facere solens, quasi nostro sermone quis diceret: **Ick en kooser gheen eeten beur.**

Sequitur in Plauto:

ME. *An audiuisti?* EV. *Vsque à principio omnia.*

MI.

M E. *Tamen, è meo quidem animo, aliquanto facias rectius,*
Si nitidior sies in filiæ nuptiis.

Tamen, puto fini præcedentis Senarij appendendum cum Lambino, ac sequentis principium à proximis verbis inchoandum; retentâ, quam Interpres quem laudo sustulisse videtur, Præpositione E. hoc modo:

E mêo quidem animo aliquantò facias rectius.

vt, Mêo, monosyllabum reddatur virtute contractionis. Sequentem deinde versum ità lego:

St nitidior sis filiai in nuptiis.

numerorum caussâ vt cõstent scilicet. Scenâ antepenultimâ ità legitur:

E V. *Quid si fallis?* L Y. *Tum me faciat quod volt magnus Iuppiter.*

Id quod patrio sermone interpretaremur: **So moet Godt zijn wille met my doen.** Cæterùm Me, prò Mî, hoc loco positum coniiciebat Fruterius ex Festo. Ego contrà auferendi casu accipiendum autumo, vt: *Quid me fiet?* apud Terentium, & apud eundem Heautontim.

CLI. *Quia enim incertum eſt etiam quid ſe faciat. modo venit.*

quod planius ab ipſo item Cicerone expreſſum operæpretium fuerit hîc appingere, ex libro Epiſt. Famil. XIV. Epiſt. I. hoc exemplo:

Quod ad me, mea Terentia, ſcribis, te vicum vendituram; quid obſecro, te (me miſerum) quid futurum eſt? & ſi nos premet eadem fortuna, quid puero miſero fiet?

Cui conſentaneum quoque Terentianum illud ex Phormione: *Quid illâ filiâ Amici noſtri, quid futurum eſt?*

Nec non Cæcilianum illud ex Plotio apud Nonium Grammaticum:

Quid hoc futurum obſonio? Adde ab hoc noſtro denique ex Moſtellar.

Quid eo eſt argento factum?

A D

AD CAPTIVOS.

CAPVT XIV.

Alieno vti nihil moror. *In eius loci declaratione fides Lambino abrogata planissimè.*

AD Plauti Captiuos veniamus, qui me quotiescunq; (vt fit) manum ipsis iniectare libet, sibi prorsus consimilem, hoc est, captiuum reddunt; eâdem opinor ratione quâ olim

Græcia capta ferum victorem cepit.

vt non minus festiuè, quàm verè cecinit Lyricorum princeps Horatius: & sic, vt iis vltrò vinciendum me præbeam, faueamque ipse seruituti meæ: neque adeò, si liceat, aufugere velim.

Ità isthæc nimis lenta (vt hic meo more etiam solens Plautissem) *vincla sunt literaria.*

Quo magis intendas, tanto astringunt arctius. ratione multo meliore vtique, quàm *Escaria illa & Parasitica*, quibus *sibi apud mensam plenam rostrum deligari* exoptat Peniculus Plautinus. Ad eos, inquam,

Captiuos veniamus. non quidem vt mali cumulum aliquẽ miseriis eorum adiectemus insuper, verùm eas, quantum potest, potius comitate vti nostrâ minuamus porrò atq; leuemus. quod futurum arbitror, si modò ipsis catenas illas maiores, haud singularias, quibus eos non dico Hegio, verùm hercle tot seculorum vertentium iniuria, tum inueterata barbaries hactenus circumuinctos, obseptosque attinuit, liberalissimâ caussâ demamus. At quorsum istæc? quasi verò non idem istuc ante nos & quidem summâ cum laude, tum bono publico Camerarius confecisset? Non inficeor; præstitit sanè vir ille, quantum memoriâ nostrâ, natus nemo qui siet; sed enim vnus omnia non potuit, in eo præsertim scriptore, quem librariorum seu inscitia, siue sinistra adeò liberalitas nobis cõtaminatissimum tradiderat. Vnde factum credo, quod tot tantæque maculæ ipsi, ne toto quidem Oceano eluendæ, diutinæ seruitutis vestigia altissimè etiamnunc impressæ residеant. quod quidem & nos aliquâ

ex parte

ex parte ſuprà oſtendiſſe, ac deinceps clarius etiam oſtenſuros eſt confidentia. Verum hæc poſterius. nunc ad inceptum redeo: ad Captiuorum exordium dico, ex perſonâ Prologi conceptum maximè, qui in argumento Comœdiæ (vt ſolet) narrando ſermonem abrumpens inſtitutum, poſt acrem aliquamdiu expoſtulationem cum neſcio quo ſpectãtium habitam, tandem illo miſſo facto, ad Quirites, eos putà quibus quinto quoq; anno in luſtrum, ac cenſum Ciuium Romanorum nomina ſua referre ius erat, orationem Comicâ ex arte conuortens ait:

Vos qui poteſtis ope veſtrâ (id eſt, opibus veſtris) *cenſerier,*
Accipite reliquom: alieno vti nihil moror.

Reliquum, ſcilicet argumenti modò interrupti. putoque referundum ad id quod alibi item Prologum fabulantem inducit his verbis:

Quod reliquom reſtat, nunc volo perſoluere;
Vt expungatur nomen, ne quid debeam.

Idem enim hîc apertiſſimè ſignificat; nihil morari ſe alieno in ære eſſe debitorem, cui præſertim in mundo ſiet,

vnde

vnde nomen creditoribus diſſoluere vel numerato poſſit. Vnde liquidò paret, quot quantaſque hic locus fruſtrationes dederit Lambino, qui poſtremum hocce ad odioſum illum Hiſtrioniæ turbatorem pertinere eſt arbitratus, cuius operâ & ſtudio, quippe abs ſe alieni maximè, porrò ſeſe vti nolle iam inde à principio Imperator Hiſtricus pubi præſenti, omni populo palàm ac publicitus conteſtetur.

AD CAPTIVOS.

CAPVT XV.

Dii nos quasi pilas homines habent. *Ad verum planumq́; eiusce dicti intellectum Pompeianâ comitate peruentum denique: seorsumq́; in* Pilarum *istarum explicatione à Clariss. viri sententiâ pronunciatio facta. Larium seu Penatium signis quamobrem* Pilæ *aßignatæ antiquitus. Duûm adhac locorum restitutio Plauto condonata.* Oculis miseriam cudere.

EGON' vt non digressiunculæ omnium elegãtissimæ in eodem Prologo illo, vsq; adhuc velut per nebulã Interpretibus perceptæ modò, quantum potest dem lucem, & quasi nucleum è nuce eruam? Non ædepol Attalicis conditionibus cõduci vel diduci possim ab hac sententiâ. Ea verò sic habet:

Enimuerò Dî nos quasi pilas homines habent.

Sententiâ multo argutissimâ, sed notionis

notionis reconditæ, & cuius explicationem non aliunde quàm ab illa vetusti moris obseruatione, quam habes in Festo, totam dependere iudico:

Pilæ, & effigies viriles & muliebres ex lana compitalibus suspendebantur in compitis, quod hunc diem festum esse Deorum inferorum, quos vocant Lares, putarent; quibus tot pilæ quot capita seruorum, tot effigies quot essent liberi, ponebantur, vt viuis parcerent, & essent his pilis & simulachris contenti.

Quò itidem referundus alter eiusdem Festi, an Pauli locus, cui L. litera præmissa:

Laneæ effigies (*Manias* vocat Macrobius) *Compitalibus noctu dabantur in Compita: quòd Lares quorum is erat dies festus, animæ putabantur esse hominum, redactæ in numerum Deorum.*

Vbi *Dabantur*, dedicabantur interpretor. Sic & Tibull. ex emendatione Fruterianâ:

Pomosisq; ruber custos donatur in hortis, &c.

cuius vicem hodie vbique, *Ponatur*, exaratum prostat.

Proinde hallùcinatus mihi (absit inuidia dicto) in prioris Pompeiani loci expositione

expositione videtur vir sagacissimus, *Pilas* hasce *compitalitias, Laneasq;* quas proposui, *effigies, cum Stramentitio Varronis Aiace, & fæneis, sirpeisue hominibus, imò verò hominum simulachris,* quibus mediam in arenam proiectis tauros ad prælium accendere atque irritare Romani moris erat, præposterè confundens. Nam quid simile habet obsecro *Pilæ* istæ pro seruorum salute in compitis suspendi solitæ, atque ad Deos Inferos propitiandos comparatæ modò, cum simulachris illis, quibus in arenâ taurorum ira electari, siue prouocari consueta ad certamen fæneum ? Atque hoc illud esse arbitror, quod etiamnum in superstitibus Romanæ antiquitatis monimentis, Lares Penatesque cum *Pilis* depicti spectantur: quas in manibus gestantes versent quo pacto lubet. cõque haud dubiè à callentissimo Poëtâ allusum :

Scenâ III. Lorarius Hegionis Captiuos lachrymantes, miserantesque seruitutẽ ac fortunas suas, cõsolans ait:

Eiulationẽ haud opus est multâ, oculis multam miseriam addisis.

Multâ

Multa hoc loco putat Lambinus induci debere, vt fiat Trochaïcus Catalecticus hoc modo:

Eiulatione haud opus est; oculis multam, &c.

Monet idem tamen in nonnullis v v. c c. se reperisse perscriptum:

——*Oculis multa misera cuditis.*

Vnde ipse suspicor emendandum: *Oculis multam miseriam cuditis*: vel certè *Accuditis.* interpretatione sumptâ à loco illo Mostellariæ:

Scenâ: *Illi, Bucceda.*

Oculi dolent? (scilicet, tibi) SE. *Cur?*
PH. *Quia fumus molestus.*
SE. *Tace sis faber, qui cudere soles nummos plumbeos.*

Scenâ porrò sequente ità eosdem de nimis artâ custodiâ conquerentes castigat Hegio.

An verò non iusta caussa est, vt vos seruem sedulò,
Quos tam grandi sim mercatus præsenti pecuniâ?

Quam eampse Phrasim Plautum nostrum etiam vsurpasse comperior in Pænulo:

Scenâ: *Ità me Di amēt.*

At verò nō iusta caussa est, quò curratur celeriter,
Vbi bibas edas de alieno quantum velis vsque affatim?

Quem

Quem quidem locum ex hocce porrò emaculandum ariolor, & prò *At, An* in principio prioris Trochaici reponendum.

AD CAPTIVOS.

CAPVT XVI.

Captiuorum locus emendatus: bini alteri explicati præter mentem ac ſententiam Lambini.

LOCVM Captiuorum, cuius mehercule in illuſtri poſitam ſententiam præpoſtera nominis ac perſonæ collocatio vſque adhuc perplexabilem concinnaſſe videtur, Plautinâ (vti ſpero) incude refingam hoc capite. quod vt clarius diluceat, haud abs re ædepol facturus videor, ſi Hegionis cum Pſeudotyndaro colloquutionem paulò altius repetiero. Rogitat autem ſuper Philocrate Senex:

HEG. *Quid ipſus hic? quo honore eſt illic?*
PHI. *Summo, atque à ſummis viris.*
HEG. *Tum igitur ei cùm in aliis tanta gratia eſt, vt prædicas,*

Quid diuitiæ? sunt'ne opimæ? PHI. *Vnde excoquat sebum senex.*

HEG. *Quid pater? viuit'ne?*

Quam postremam Philocratis, qui Tyndarum se esse nimis pol graphicè assimulabat; responsionem ità nobis explicat Lambinus:

Ità sunt (inquit) *opimæ Philocrati diuitiæ, vt senex eius pater, ex eis coctis multum sebum elicere atque exprimere queat.* De *Sebo* rectè, de Patre Philocratis non item. Quid enim? de Philocratis ipsius censu, non autē de paternâ opulentiâ, aut diuitiis quæsierat Senex. Cuius interrogationi vt Pseudotyndari responsum conueniat propius, dubium mihi non est, quin verbum *Senex* à *Sebo* dissiungi & personæ Hegionis porrò cum sequente versu aptari debeat, huiusmodi coagmento:

PHI. *Vnde excoquat sebum.* HEG. *Senex Quid pater? viuitne?* &c.

Quod verò dixerat Philocrates, *Summo, atque à summis viris*, haud aliunde planius, quàm de Næuio interpretabimur; apud quem;

Lætus

Lætus sum laudari me (inquit Hector) *abs te, pater, laudato viro.*

Habes sub eiusdem Scenæ finem sententiam verè senilem:

HEG. *Quod bonis benefit beneficium, gratia ea grauida est bonis.*

hoc est, vti idem Interpres exponit: *Quod in bonos confertur, id beneficium grauidum est bonis*, id est, *refertum bonis*, *& bona parit ei scilicet, qui beneficium illud contulit.* Cæterùm (vt verum fatear) hæc mihi explicatio non placet, sed illa potius cui consentit loci illius simplicitas è Persa:

Si quid bonis boni fit, esse idem & graue & gratum solet.

interpretatione ab ipso porrò auctore quæsitâ.

AD CAPTIVOS.

CAPVT XVII.

Laniones Lenonum æmulos: *caterùm alteros perperam prò alteris suppositîtios factos in hac Comœdiâ ostensum: postremò*, malam rem quærere *vtrosque sibi.*

CVM Ergasilo Plautino mihi hoc capite negotium erit. Ait igitur in Captiuis ille initio Actûs III. de immutatis iuuentutis moribus Parasiticè secum & cum Genio suo conquerens, quos de compacto rem gerentes sic quasi in velabro olearios, concilium iniisse videri cupit; quo ridiculos inopesque, quibus sunt verba sine penu & pecuniâ; id est Parasitos omnes (in quîs & ipse nomen profitetur suum) victuque & vitâ prohibeant, non iam, proinde vt prius consueti, imi subsellij viros (quos ipse à plagarum patientiâ *Laconas plagipatīdas* facetissimè indigitat) requiritantes amplius, verùm eos potius, qui posteaquam benè dapsiliterque

quæ ab ipsis, & suauibus modis accepti fuerint anteà, norint redhostire contrà, hoc est, reuocare, seu mutitare viciſsim, & cum vocatoribus suis mutuum facere. In quibus illud grauiſsimum hercule, atque iniquiſsimum, quòd falcem suam in alienam meſſem immittentes, ipſimet obſonatum eant ad forum, & quidem capite aperto, sic quaſi pudore proſtituto ſemel, abſque more & modeſtia omni. Sed verba ipſa repræſentem optimum eſt:

Ipſi obſonant, quæ Paraſitorum antè erat prouincia.
Ipſi de foro tã aperto capite ad Lenones eunt,
In tribu quàm apertò capite ſontes condemnant reos.

Sed enim quidnam cum Lenonibus homini (obſecro) Paraſito? an, quò alienæ libidinis internuntius & quaſi ſequeſter apud Lenas aut Lenones exſiſtat ſcilicet? vt Diabolo, in Aſinariâ, Phædromo Curculione, alias alij. quod munus ipſóſmet iam amatores adoleſcentulos, famam ac verecundiam poſt auaritiam ſuam habentes, fungi atque exſequi lamentatur Ergaſilus.

silus. quo? nisi vt conciliatoris faciant compendium? Scita quidem hæc explicatio, nisi illa, meo iudicio, scitior, quam nos calidâ hercle coniecturâ aucupati fuimus modò, *Lenones* in *Laniones* commutando. genus vtique maiori vsui Parasitico ordini futurum, quàm quæstus ille Lenonius. De Laniis certè (vnde Sosipater *Laniones* diminutiuum deducit) idem quoque Ergasilus infrà:

Tùm lanij autem, qui concinnant liberis orbas oues,
Qui locant cædundos agnos, & duplicem agninam danunt. itē ferè sub finem:
Quanta laniis laßitudo, quanta porcinariis!

denique in Pseudolo:

Laniones inde accersam duos cū tintinnabulis.

tametsi insciens non sim, *Laniones* istos eâdem in Fabulâ *Lenonum æmulos* & quidem à Ballione, sua ipsius vineta cædente, manifestò perhiberi verbis illis:

Scenâ: *Exite, agite, ite.* L E. *Æschrodora tu, quæ amicos tibi habes lenonum æmulos*
Lanios, qui item vt nos iureiurando malo quærunt rem. quo tamen loco,

Malam quærunt rem, rescribi mauelim.

AD

AD CAPTIVOS.

CAPVT XIIX.

Antiquum dicendi genus, cùm ex coniectura, tùm alterius loci collatione Captiuis repositum: non sine locuplete Enniani testimonij accessione, à Fruterio nostro, quà ad numeros, quà ad sententiam reconcinnati primitus. Subrostrani. *Indidem Horatij locus nunc primùm explicatus.*

DE maculis, quas aut obscura sciolorum diligentia, aut inueterata seculorũ barbaries Plauto nostro non adspersit modò, verùm hercule inleuit inseuitq; penissimè, conquesti fuimus iam anteà. quarũ aliquot ex hâc ipsâ, tum prioribus Fabulis nos sustulisse speramus, ingenij magis quàm exemplarium copiis subnixi: nunc reliquas vestigiis persequemur. & ne longius eam; vnum etiam labis insignitæ ex eodem hoc ipso actu, quod quidem mihi instar multorum esse poterit, exemplum proferam:

Nunc ſpes, opes, auxiliaq; à me ſegregant
ſpernuntq; me.

Nam quæ obſecro loquutionis ratio eſt illa? *Segregant à me*: niſi fortè ſubaudiendum pronomen *Se*; aut *Segregant*; prò *Segregantur*, accipiendum. Quod ſi vſpiam alibi à Plauto, vel quouis alio Latino ſcriptore factitatum, me aliquis vero conuincere poſſit, cauſſam haud dico, quin & hîc locum vulgaris obtineat lectio: ſin; æquis animis patientur ſpero ſtudioſi omnes, ſi ipſe illorum, atque etiam Poëtæ ipſius honoris gratiâ, coniecturam ſuper hac re meam meo more, hoc eſt, familiariter iiſdem propoſuero: haud leui certè auctore nixus, ipſo nempe Marcello, qui *Spernere*, idem eſſe quod *Segregare*, adducto quoque Ennianorum verſuum teſtimonio diſertè cõfirmat. cuius ego argumenti virtute fretus magnâ cum fiduciâ in Plauto reponendum pronuncio:

Nunc ſpes, opéſque, auxiliaq; à me ſegregant
ſpernuntq; ſe.

mecum præſertim faciente Ennij loco quem ad huius rei probationẽ Nonius

nius

nius, vt dixi, ibidem adducit. qui quoniam in libris noſtris deprauatiſſimus legitur, mirificèque adeò ad huius, de qua agimus, cauſſæ veritatem explorandā conducit, ab hocce capite haudquaquam mihi ſpernendus aut ſegregandus videtur. Itaque totum, proinde vt ipſum reſcribendum cenſuit iuuenis examuſſim doctiſſimus, mihique dum viueret, merito ſuo cariſſimus Lucas Fruterius, adſcribam: non tam vt iucundis amici, imò præceptoris vnici Manibus gratum faciam, quàm vt iis oculi doleant, qui nobis benè eſſe aliorum comitate pati non poſſunt, dum eius, quem dixi, VERISIMILIA, totque noctes ac dies congeſtas vigilias, quaſi ſignata Sacra, vt Sacros homines decet, ſub clauſtris furtim abſtruſas, improbiſſimèque in latebris ſitas habent; imò Euclionis in modum magnâ cum curâ ſeruant, ne quis alicunde Strobilus obreptet, qui ſe theſauro interuortat. aliâ (opinor) re nullâ, niſi vt ipſimet eumpſe tandem vſufaciant ſuum, quibus alienos labores ſupponere ſibi conſuetudine iam-

pridem in naturam vertit. Sed his omissis melius est in rem præsentem venire aliquando, & verba ipsa, ità vti in Nonio prostant, subscribere.

Melius est virtute ius: nam sæpe virtute mali nanciscuntur ius, atque æquum se à malis sperni procul. Quæ cuiusmodi sint, hæcce Fruteriana emendatio satis superque indicabit:

Melius est virtute ius: nam sæpe virtutē mali
Nanciscuntur; ius atque æquum se à malis
spernit procul.

vt Trochaici catalectici exiſtant scilicet. Hæc mihi in gratiam eius, quem quidem ego, dum licuit, *vnum atque* (vt Catullus autumat) *vnicum amicum habui*, studiosos celare religio fuit, huc me credo rapiente vehementissimo amoris æstu. Itaque penè præterieram immemor, idem ab ipso Plauto in Milite obseruatum esse, quod in Captiuis annotaram modò:

Ille illas spernit segregatq; ab se omnes extra te vnam.

Vides enim, vt ipsus suo se indicio prodat Poëta noster, quum *Segregat* subsequi facit, velut interpretamentum

tum verbi præcedentis, ne quis vulgari significatu aut hîc, aut etiam in Captiuis, *Spernit* istud falsò accipiendum existimet.

Scenâ: HEG. *Quantò in pectore.*

Rectè mehercule notatum à Lambino, *Subbasilicanos* Plauto, eapte formâ compositos, quâ *Subrostranos* M. Cælio apud Ciceronem. Sic enim ille lib. IIX. Epist I.

Te ad IX. Kal. Iun. subrostrani (quod illorum capiti sit) dissiparant periisse.

Festiuè. Ibi enim (*sub Rostris* dico) vel spatiari, vel desidiabula sua habere consuetr homines Murciæ, an Vacunæ Sacris operati; rumorum alienorum aucupes, siue architectones potius; quos proletario conuicio *Calepinos* hodiè indigitamus. Neque aliunde Satyricæ Flacci narrationi interpretamentum quærundum; ità Sat. VI. secundi Serm. libri, scriptitantis:

Frigidus à Rostris manat per compita rumor.

De quo tamen Lambino, cæterisque Poëtæ illius Interpretibus, ne per somnium quidem in cogitationem venisse demiror.

AD

AD CAPTIVOS.

CAPVT XIX.

In Captiuis curandis, expediundis processum. Acuta ἀμφιβολία in verbo Perdo, *haud pertractatè expensa.* Senex doctus. Doctus Leno.

INTER cætera indicia, quibus Aristophontem in suspicione insaniæ apud Hegionem ponere satagit in Captiuis Tyndarus, subiungit tandem:

Ornamenta absunt. Aiacem, hunc cùm vides, ipsum vides.

At in Camerarij Editione est *Absint.* vnde coniicio rescribendum, *Adsint*, sensu manifestario.

Scenâ proximâ num quæ caussa est obsecro, quo minus, *Interduo* prò *Interdico* legatur exemplo illo nobili?

Vel te interîsse, vel perîsse prædicent,
Dum pereas, nihil interdico, dicant viuere.

Sic enim idem Rudente:

Eluas tu, an exungare, ciccum non interduim.

Adde numerorum rationem à nobis facientem: cuius præ cæteris vtique obseruantissimus Comicus hic noster.

Ibidem

Ibidem Ariſtophontes indicij facti pænitens inducitur, atque obſecrans Hegionem, ne Tyndarum veterem ſodalem ſuum perditum eat, huiuſmodi deprecatione:

> ARIST. *Per Deos atque homines ego te obteſtor Hegio,*
> *Ne tu iſtunc hominem perduis.*

Sententiâ apertâ. at Hegio aliouorſum poſtremum illud dictũ accipiens, obteſtationem Ariſtophontis eludere pergit eiuſmodi reſponſo:

> ——HEG. *Curabitur.*
> *Nam noctu neruo vinctus cuſtodibitur, &c.*

Ex ambiguitate, quæ verbo *Perduis* ſubeſt, iocum aucupatus, quod quidem ſilicernius iſte venalitiarius veteratoriè diſſimulans haud aliter intellexiſſe videri cupit, quàm ſi deprecator ille obteſtatus eſſet ſeſe, ne Tyndarum porrò captiuum dilabi patiatur, ſic enim futurum maximè, eundem vt perduit, hoc eſt, prædam amittat è manibus. proinde paratè ſe cautionem adhibiturum, ne fugitiuos imitari poſſit ſubdolus; Hippolyti fabri operâ cõpedibus, manicis, neruo ac cuſtodiis

Huc non abſurdè referri poſſit & illud ex Epidico: ST. Ego te ſeruabo. EP. Ædepol me illi melius ſi naſti fuant.

circummœnitus probè penitiſſimèq́ue in phylacam ac lapidicinas conditus. Eandem ἀμφιβολίαν cygnææ illi Didonis apud Æneam fugientem conqueſtioni Ouidium accommodaſſe intelligo hiſce verſibus:

Viue tamen: ſic te potius, quàm funere perdã.
Tu potius lethi cauſſa ferare mei.

Scenâ ſecundum hanc tertiâ, Senex os ſibi à Tyndaro ſublitum ludoſq́ue factos dolens, tantò ægritudinem in animo auctiorem eſſe prædicat ſibi, quantò magis in pectore volutare ſecum pergit tacitus; qui ſermones, quæ ſannæ, qui riſus deniq́ue hominum alieno malo lubentium futuri ſient, ſimulatq́ue vulgò reſciuerint herum à ſeruo, ſenem ab adoleſcentulo doctis dolis atque fallaciis in tranſennam ductum. dicturos ſiquidem omnes, Hegionem ſic quaſi indice digito commonſtrantes:

Hic ille eſt ſenex ductus, quoi verba data ſunt.

Alij tamen *Doctus* malunt, & ego vnà cum illis; idq́ue alterius Plautini loci auctoritate potiſſimùm inductus ex Perſa:

Videſis.

Videsis, ego ille doctus leno penè in foueā decidi. contrà sententiam boni illius Dionysij vulgariæ lectioni propugnantis acerrimè. Nam si nil aliud; quid verò necessum fuit eandem rem bis iterari à Plauto, quùm τὸ *Ductus*, & item, *Cui verba data sunt*, vnum prorsus idemque vtraque significent?

AD CAPTIVOS.

CAPVT XX.

Lambini interpretamentis alteri præbita, alteri palàm denegata assensio. Loci Sallustiani cum Plautino contentio. Tu talis vir. Patriciis pueris auiculas, quîcum lusitarent, dari solere, *& M. Antonij Imperatoris, & Pliniano testimonio firmissimè demonstratum.*

SCENA: *Diespiter te, Dijq;*. puer Hegionis producitur, de impetu à nouo cellario, & cui summa res cibaria à Sene patrefamilias credita fuerat modò, in penum facto, deque recluso armario

armario omnibuſque cellis intus refra-ctis quiritans ante oſtium; atque inter cæteras Paraſiticæ Præfecturæ inſolentias hoc exemplum ſpectatoribus enarrans:

Aulas, caliceſq; omnes confregit, niſi quæ modiales erant.
Cocum percontabatur, poſſent'ne ſeriæ ferueſcere.

Hoc eſt, (vti accuratè ſanè explicat Lambinus nobis) non ſatis habebat carnes in ſeriis conditas depromere, & cocis coquendas dare; ſed ipſas quoque ſerias, id eſt, vaſa fictilia, in quibus carnes ſalſæ conditæ ſeruabantur, penè dicam coqui & ferueſcere volebat. Sic enim eas nobis definit Cato Rei Ruſt. cap. 162. ſcribens: *Pernas ſallire ſic oportet, in dolio, aut in ſeria.* Et (vt quod res eſt fabuler) puto vaſa ea ampliora & capaciora fuiſſe, quàm vt igni admoueri potuerint. proinde rem æquè ridiculam percontatũ videri Paraſitum, ac ſi quis hodie Orcas noſtrates, id eſt, cados ſalſamentarios, in quibus bubulam ad vſus diuturnitatẽ ſallitam quotannis condire per Autumnum conſueuimus,

ſueuimus, vnà fortè cum muriâ ad focum admouere ſe poſtulet; quaſi integrum bouem pariter, Herculis βουφάγου in morem, primo velut pedatu abſumpturus; atque in profundum, hoc eſt in ventrem ſuum famelicum abditurus penitiſſimè.

Scenâ àntepenultimâ vitulatio Hegionis exprimitur, filium Philopolemum operâ & comitate Philocratis maximè, ex Aulide reducem ſibi in libertatem factum ex animo gratulantis, ac inter cætera perhibentis:

Quumq; hunc conſpicio in poteſtate noſtra.

id eſt, Philocratem, vti vult Lambinus. perperam. Enim fugitiuum illum potius, qui quadrimum filiolum Hegioni ſurripuerat, deſignari, ſatis ſuperque videor aſſeuerare poſſe; Stalagmum dico, qui eâdem porrò Scenâ veterem ad dominium domùm poſtliminiò ex fugâ retractus, atque in rem præſentem inq. conſpectum eius productus coràm, quoniã Hegio primitus ipſum compellans εἰρωνικῶς dixerat:

HE. *Age tu illuc procede bone vir, lepidum mancipium meum.*

ipſe ſuis quaſi miſeriis inſultans (ſerui improbi vt ſolent) herum inſuper ſuum, velut mendacij manifeſtò prehenſum ludos faciens, hâc vernili porrò dicacitate irridet:

Quid me oportet facere, vbi tu, talis vir, falſum autumas?

Quod loquendi genus in vſum ſuum conuertiſſe videtur Salluſtius, vnicus ille priſcæ Latinitatis aucupator, ità de Marianæ induſtriæ indole in Iugurthâ differens:

Tamen ad id locorum talis vir (nam poſteà ambitione præceps datus eſt) Conſulatum appetere non audebat. cui Plautinum iſtud quoque ex his ipſis Captiuis ſuccenturies licebit:

Hic qualis imperator nunc priuatus eſt!

Finem faciam, ſi prius aliquid mantiſſæ vicem capiti huic attexuero, leue illud quidem & nihili, non alienum tamen ab inſtituto noſtro; neque indignum prorſus quod in iſtumce numerum referatur. id eſt huiuſmodi; à Plauto noſtro in vltimâ huiuſdē Comœdiæ Scenâ ex perſonâ Tyndari ſui inter reliqua prolatum:

Quaſi

Quasi patriciis pueris aut monedulæ
Aut anates, aut coturnices dantur, quîcum lusitent.

Ad quod ipſum quoque reſpexiſſe M. Antonius Imperator liquidò videri poteſt, cùm ſcribit: καὶ τὸ μὴ ὀρτυγοτροφεῖν, μηδὲ περὶ τὰ τοιαῦτα ἐπτοῆσθαι. Eôdem etiam referri poſſe arbitror ea quæ de filio Reguli in Epiſtolis commemorat Plinius. Sed iam tempus videtur, vt his captiuis abſolutis & plauſu clarè (vt decet) impetrato, ad amores porrò Phædromi à Lenone redimendos tranſeamus.

AD CVRCVLIONEM.

CAPVT XXI.

Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies. Dî volentes propitij. *Cenſuræ pluſculæ in Scenam deincipem.* Bibit arcus, pluet credo hodie. *Dictùm quoddam Ciceronis de contemnificâ ac faſtidioſâ Plautini amatoris gloriatione adumbratum videri.*

AD duas loco & ordine proximas Poëtæ ipſius œconomia nos vocat: in quarum priore amator adoleſcentulus, in alterâ ancillariolus Senex nobis ante oculos proponitur; vterque æquè delitias dicens ac faciens. Ac primò quidem vt à Curculione ſeruato ordine capiti huic principium faciamus; ſcire Lectorem volo, Fabulam eam maximâ ex parte à mendis, quibus illa non minus, quàm curculionibus triticum, anteà obnoxia viſebatur, operâ Camerarij noſtri ac veterum potiſſimùm librorum, queîs idem vſus eſt, fide

est, fide repurgatam, penèque in pristinum restitutam esse: restare tantùm nonnulla ab vnico illo Plauti sospitatore diligentiæ nostræ reliqua facta. ad quæ antequam progrediamur, operæpretium videtur aliquot prius locorum minus illustrium explicationes in commune expromere:

Quo è numero fuerint hi quoque versiculi à Pompeio Festo laudati in voce *Status*:

Si status condictus cum hoste intercedit dies,
Tamen est eundum, quò imperant, ingratiis.

Quorum enodationem quoniam ab aliis abundè pertractatam arbitror, præterfluere sinam; vnum hoc de meo attexuisse contentus, sub voce *Intercedit*, nescio quid reconditæ notionis latere, &, si mei arbitrij res fuat, putem ad Tribunitias Intercessiones adlusum à Comico.

Illud etiam pertractatè dictum videri non debet:

PH. *Agite, libite festinæ fores,*
Potate, fite mihi volentes propitiæ.

quippe ex religione priscâ, & communi sacrificantium formulâ petitum. Exemplo fuerint concepta illa & sol-

lennia precationum verba apud Catonem: *Mars pater, te precor quæsóque, vti sies volẽs propitius mihi, domo, familiæq; nostræ,* &c. Item:

Iane pater, te hac strue conmouendâ bonas preces precor, vti sies volens propitius mihi, &c.

atq; alia plura eiusdem rei apud eumdem verè Censorium. Vide Succidanea nostra ad Horatianum illud:

——Et mihi Delphicâ
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Scenâ secũdum hanc proximâ haud placitat mihi siticulosa illa multibibæ ac merobibæ anuis, florem veteris vini per tenebras naribus magis, quàm vestigiis persequentis oratio:

——Vbi est ipsus? ipsum expeto
Tangere, inuergere in me liquores tuos
Sino ductim. Malim proinde legi:
Inuergere (vel *Inuergier*) *in me liquores tuos*
Sine ductim. vt sit anilis apostrophe ad lepidissimum illum Liberi patris florem, cuius illa tantopere cupidam sese iam inde à principio fuerat professa. Quod sequitur:

AN. *Imperator quis est?*
PH. *Vinipollens, lepidus Liber.*

Id verò

Id verò non tam Plauti nostri, quàm Licinij Calui gratiâ, per caussam placitum huc insertare: cuius è Poëmatis, Seruius II. Æn. item Macrobius lib. III. cap. IIX. Saturnal. etiam hoc Fragmenti reliquum nobis fecere:

Pollentemq́; Deum Venerem.

quo loco, *Deum*, etiam *Deam* vocari, ostendere voluerunt. Inuenustè, vti ego iudicò, neque ex mente Poëtæ satis; quem *τὸ Deûm*, hoc loco, *ἀντὶ τοῦ Deorum*, genitiuo plurali posuisse accipio, idque exempli huius Plautinâ inquam potissimum auctoritate persuasus. eâdem ratione, quâ nimirum IOVEM OPT. MAX. *Diuûmq́; hominumq́; potentem*, hoc est, dominum ac regnatorem, celebrauit Deus ille Poëtarum Virgilius. *Pollens Deûm*, enim sic dictum, quomodo, *Pollens animi, opum*, &c.

Sequitur indidem anilis & condigna hercule vinosissimâ Lenâ Libatio, quam de paulo, non de pleno, illa Veneri peragere se dicit, & quidem aduorsus animi sui sententiam haud libenter. cuius parcimoniæ rationem hanc reddit protinus:

Nam tibi amantes propinantes
Vinum potantes dant omnes.

quod ego prò frequentatiuo, & prò *Potitantes*; siue assiduè potantes positum accipio: argumento mihi est clausula illa precationis anilis: —*Mihi haud sæpè Eueniunt tales hæreditates.*

Atque ex hisce, quæ diximus, perspicuè planum, cuiusmodi Libandi ratio frequentata antiquitus. cuius occasione elegantem quidem, cæterũ principis membri particulâ luxatam, simul interpuncti vitio affectam Gannij veteris Poëtæ auctoritatem, ex Prisciani libro VI. à Ios. Scaligero inter alia ad Festum in voce *Ador* productam, haud grauabor adscribere:

Hic adoris dat primitias tibi. sanguine libat.

In quo versu ego prò *Hic*, *His*, emendandum; idque ad Deorum, quæ præcesserat, mentionem trahi oportere censeo. hoc primum: deinde post, *Primitias*, distinctionem cõlocandam, non post *τὸ Adoris*. vti nunc est in contextu. Sensu argutissimo; vt de Busyride quopiam, vel Mezentio sit sermo. Itaque erit rescribendum:

His

His (ſcilicet Dîs) *adoris dat primitias: ſibi ſanguine libat.*

Id eſt quotidianâ ſanguinis profuſione, humani dico, non ouilli, aut vitulini. iuxtà Salluſtianum illud: *Humanas quoque hoſtias vidiſtis, & ſepulchra infecta ſanguine ciuili*. quo Libationis genere animo Sullaturienti nullum aliud voluptabilius, aut iucundius.

Inter cætera porrò quibus biboſa ac merulenta illa; ne cum Catullo, *vini pernicies*, dicam; exagitatur à Palinuro, vnum illud de dictis eius melioribus exponere, lubido eſt mihi:

Ecce autem bibit arcus: pluet credo hodie.

Quibus verbis anilem ſtatum, ſpeciem quandã cæleſtis illius Iridis (hoc enim *Arcus* eſt) interim dum bibit, graphicè & quaſi ex picturâ referentem, feſtiuè nimis ac verniliter irridet. Cur ità? quoniam deuexa præcepsque ac prona in capulum vergens ætas (quæ mala hercle merx eſt tergo) fecerat, vti & ipſa quoque deuexa humeris, lumbis, dorſo, coxendice, toto corpore denique cernuo, repando, ſilicernium merum, hoc eſt, ita incurua

 prorſus

prorſus Palinuro videretur, vt poſtilena, aut Sigma ex eâ potius, quàm longa illa Plautina litera fieri poſſet. Eò dico, ne quis ad bibacitatem potius, quàm ad arcuatam Iridis curuaturam ac conuexitâtem illam, quæ Rhytij, vel corniculatæ Lunæ ſpecie deſuper ſe nobis oſtentat, Comicum noſtrum reſpicere voluiſſe, leuiter exiſtimet. Cui quidem (Lunæ inquio) aptè pariter ac ſalsè anum ætate ſinuoſam, incuruiceruicam, totoque velut corpore cernuantem, imò dimidiatim percellentem, & quaſi agglutinantem ſe ſino, ex more & diſciplinâ ingurgitantium in ſe merum auariter, ductimque ac plenis faucibus temetum haurientium, componit ac cõparat. Quod ab aliis, nec à Lambino quidem aduerſum, prætermiſſum certè; viſum eſt nobis hiſce etiã chartis illinere. Nam ab arcu iſto cœleſti aquam demiſſis in terram cornibus, ſic quaſi Siphonibus quibuſdam, ſurſum in nubes attrahi, teſtatius quàm vt hîc iteretur, etiam Martialis nobili iſtiuſmodi verſiculo celebratum:

Caſuras

Casuras altè sic rapit Iris aquas.

Habes deinceps ridiculam, ne prodigiosam dicam, insani amatoris pollicitationem, dignissimam vtique vinosâ illâ amorum eius adductrice:

Tibi næ (ita lego cum Lambino) *ego, si fidem seruas mecum*

Vineam pro aureâ statuâ statuam, quæ tuo GVTTVRI *sit* MONIMENTVM.

hoc est, quæ bibacitati ac vinolentiæ tuæ monumentum porrò in posterum sit sempiternum. Formulâ ex antiquo dedicationum ritu, ac statuarum consecrandarum ratione desumptâ. Sic idem infrà:

——Ibi nunc statuam vult dare auream

Solidam faciundam ex auro Philippeo, quæ siet

Septempedalis, FACTIS MONIMENTVM SVIS.

Nec non Rudente:

Oppidum magnum communibo, ei ego vrbi

Gripo indam nomen, MONIMENTVM MEÆ FAMÆ ET FACTIS.

Quid? quod idẽ alibi, *Et sibi & generi suo monimentũ parentibus esse liberos* prædicat?

Ait Scenâ sequente, serui consilio, in amorum occasione opprimendâ, obtem-

obtemperare promptum ſeſe oſtentans Phædromus:

Rectè obiurgat, ſanè haud quidquam eſt magis, quod cupiam tamdiu. quod poſtremum mihi his diebus penitius inueſtiganti, potius viſum fuit in *Iamdiu* commutare, quâ quidem phraſi apud Comicum noſtrum,

Nil pol tritius eſt, frequentiúſve.

Idem peccatum commiſſum in Ciceronis Bruto: *Teſtis eſt Græcia, quæ cùm Eloquentiæ ſtudio ſit incenſa, tamdiúq;* (lego *Iamdiúq;*) *excellat in eâ*, &c.

Habes mox ex eiuſdem cum amicâ collabellantis perſonâ:

Hoc etiam eſt, quamobrem cupiam viuere.

Simile illi quod exſtat in Pſeudolo:

Hoc eſt homini, quamobrem vitam amet, in pariſſimo ac eodem prorſus argumento ab experientiſſimo ſeruo vſurpatum.

Idem aliquot verſibus interiectis, huiuſmodi deprecatione amoris ſui magnitudinem apud amicam ἐρωτικῶς pergit exprimere:

Sibi ſua habeant regna reges, ſibi diuitias diuites:

Sibi

Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prœlia,
Dum mihi abstineant inuidere, sibi quisque habeat quod suum est.

Ad huiusdem exempli imitationem Tullianum illud adumbratum videtur de Plauto in epist. ad Atticum: *Sibi habeant arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clauam & pilam, sibi natationes atque cursus,* &c. id quod nemini etiamnum Ciceronianorum in mentem venisse, nequeo mirari satis.

AD CVRCVLIONEM.
CAPVT XXII.

Amica amanti suo somnus, *quomodo intelligendum.* Hem, *Interiectio verberalis, loco suo, vnde exciderat, restituta. Eam in rem succidanea ipsius Plauti auctoritas producta.* Esum vocare. *Loquutionis illius defensio aduorsus Muretum.* Vouere, *prò* promittere.

SCENA eâdem Palinurus dormitans, ac tantùm non (id quod ipse mox

mox faſſurus) ſomno periens, herum ſuum cum Planeſio amicâ caput limantem increpitans inducitur, ſuadenſque, vt priuſquam luceſcat, dormitum ſe tandem recipiat domum, niſi ſi fortè Veneri Peruigilium vouerit tamen, ac religione quâdam impediatur. cui cùm Phædromus iam tum ſe dormire dixiſſet; petens, ne ſe placidè acquieſcentē interturbaret, ſeruus herilem vaniloquentiam caſtigans:

Tu quidem vigilas, inquit. cui herus de dormitione ſuâ ſatisfaciens reſpondet hoc modo:

P H. *At meo more dormio, hic ſomnus eſt mihi.*

Somniculosè pol meâ quidem ſententiâ, niſi, *Hæc*, legatur. vt δεικτικῶς amores ſuos deſignet Phædromus, reapſe innuens Planeſium ſomnum ſibi, hoc eſt, ſomni loco ac requietis eſſe; neque alia ſe dormitione egere, quamdiu quidem in puellæ ſuæ optatiſſimo complexu & oſculis ſuauiſſimis conquieſcere ſibi, & quaſi indormire concedatur: Lenæq; huius conciliatricis operâ, vel amore ſaltem ſurreptitio

reptitio vti, frui, potiri, copia ac facultas sit sibi.

Malè porrò in eâdem Scenâ, malè inquam, imò hercle verò iniuriâ Palinurum benè monstrantem pugnis pectens Phædromus verbera sua ab hoc malè ominato verborum principio auspicatur:

Heus tibi maledictis prò istis, dictis moderari vt queus.

Legendum enim *Hem tibi*, &c. neque dissimulat Lambinus in Manuscr. Codicibus suis, *Heu tibi*, disertè scriptum comparuisse. vnde illi tamen; *En tibi*, visum est extricare nobis, quem idem *verberantis sermonem esse asserit, ex quo intelligit auditor. (nam spectator oculis cernebat) Palinurum à Phædromo pugnis cædi.* Disertè quidem ille, ac verbosè plus satis, id est, more suo. sed verò in hoc peccatum largiter, quòd aspirationis notam hoc loco in libris illis suis liturariis inanem & superuacuam esse iudicauerit. quasi verò difficilioris operæ fuerit ex *Heu* illo, *Hem*, quàm *En* istud, tantopere eidem complacitum edolare. At saltem cogitare debebat non, *En*, sed *Hem*; simpse

rempſe hâc ſententiâ etiam Pænulo ſexies vno in loco ex perſonâ heri, item vt hîc ſeruum verberantis ſuum, iteratum à Comico, verbi cauſsâ.

AG. Non ego homo trioboli ſum, niſi ego illi maſtigiæ
Exturbo oculos, atq; dentes. hē voluptatē tibi,
Hem mel, hem cor, hem labellum, hem ſalutem, hem ſauium.

Vbi ſanè quemnam locum Aduerbium illud demōſtrantis habere; quid contrà Interiectione hâc noſtrâ ad domini ſtomachantis habitum, imò ſonitum ipſum verberantis pulſantiſque planiſſimè exprimēdum, aptius apertiúſve excogitari poſſit, equidem nullus diſpicio. Quod vt clarius etiam diluceat, haud alienum commentationi huic noſtræ videtur, ludicrum quoddam, magni illius Poëtarū Phænicis, BVCHANANI Epigramma, ex Gallicis MAROTI Poëmatiis conuorſum traductúmque in rem præſentem ſtudioſis porrò gratificari:

Ruſticus (Hem) cunctos cùm congeminaret ad ictus,
Hiberno properans findere ligna foco:

Syllaba

Syllaba quid toties iuuat (Hem) geminata laborem,
Quærenti vxori retulit ille: Iuuat.
Namque simul toto contentis corpore neruis
In rimam cuneum fortior ictus agit.
Illa memor, Veneris læta inter gaudia, &c.

Reliqua adscripturus non sum, ne pudoris ac verecundiæ leges migrare velle videar. Sunt enim lasciuiuscula atque improbula plus satis.

Actûs I I. Scenâ I. collineatum à Fruterio rectè atque ἀόσοχῶς, in fugitiuæ vocis restitutione, *Hira* inquam, quâ *Ieiunum Intestinum* appellitabant veteres. quam coniecturam cum Turnebo etiam sequutus Dionysius noster. Eius rei ruminatio corruptissimum quendam Lucillij locum in mentem redigit mihi. Vt enim hîc *Chiræ* & *Fibræ*, *Hiris* Plautinis; ità *Hiræ* quoque Lucillianæ apud Ciceronem, & *Suræ* suppositio, noxæ ac termento fuit. Exemplum integrum pariter vnà cum Tullianâ dissertatione ex IV. Tusculanar. Satyrographorum principis caussâ; simul, quò res tota planius dinoscatur; adscribam; huiusmodi verborum for-

mulâ conceptum; vt quidem nos illud ternis in locis integrauimus:

An verò vir fortis, nisi stomachari cœperit, non potest fortis esse? Gladiatorium id quidem. Quanquam in eis ipsis videmus sæpe constantiam. Colloquuntur, congrediuntur, aliquid postulant, vt magis placati, quàm irati esse videantur. Sed in illo genere sit sanè Pacidianus aliquis hoc animo, vt narrat Lucillius:

Occidam illum equidem, & vincam; si id quæritis inquit:
Verum illud credo fore, in os prius accipiã, ipsi
Quàm gladium in stomacho, hirâ, ac pulmonibu' sisto.
Odi hominem; iratus pugno: nec longiu' quicquam
Nobis, quàm dextræ gladium dum accommodet alter.
Vsque adeò studio, atque odio illius, efferor irâ.

Vbi primò interpuncti vitium, post pronomen *Ipse*, expunctum; inque nominatiui locum dandi casum ritè & ordine successisse; deinde *Surã* (vt dixi) *Hirâ* commutatam; tertiò deniq; *Nobis, ἀντὶ τοῦ vobis*, de Pacidiani sententiâ substitutum scilicet. omnia examussim rectissimè. Hoc enim volt dicere,

Optimu'

Optimu' multò

Post homines natos gladiator qui fuit vnus,

tanto ſe ardore inflammatum animi-que impetu cum Eſernino, ſiue altero neſcio quo de Samnitum proſapiâ cominus congrediundi, vti moræ omnis impatiens, in rem præſentem venire ſtatim exoptet illicò: nec quicquam ſibi ſpiſſius videri, quàm breuiculum illud temporis interuallũ, quod modò antagoniſtæ ſuo pugnæ ſe aptando, ſit ſatis, ad arma capiunda ſcilicet. In quo illud itidem notabis, τὸ *Alter*, non hac vulgariâ, verùm hercle Pompeianâ notione, hoc eſt, pro *Aduerſario*, interpretandum videri. Etenim de *Hirâ*, plura ſuperſtruere quid attinet? cuius deprauationi, præter inſolentiam vocis, ne dicam inſcitiam; etiam hiatum in medio verſu cauſſam præbuiſſe ſcio. cui incommoditati præſens remedium vt quæreretur, *Suram*, pro *Hirâ*, nobis ſuccidaneam fecere: ne illud quidem cogitantes, quantum Solœciſmum committerent, homines haud gladiatoriæ modò, verùm humani etiam corporis (vti paret) poſi-

turæ obliti; qui inter *Stomachum*, & *Pulmones*, *Suram*, sic quasi mediam, collocare ausi, tantâ præsertim intercapedine dispreta.

Scenâ eâdem, ità de Parasiti cunctatione apud herum ratiocinatur Palinurus;

Afferre argentum credo, nam si non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet se huc esum ad præsepim suã.

Vnde iam facillima posthac defensu fuerit scripturæ illius integritas, à Mureto per vim atque iniuriam sollicitatæ, quam habemus in Sticho:

Nulli negare soleo, qui esum me vocat.

prò quo ille ausus rescribillare:

Nulli negare soleo, si quis me vocat.

Confidenter plus satis, ne temeriter dicam, vel potius temerariè. *Esum*, siquidem retinendum ex Parasiti sententiâ maximè, M. Accij potius, quàm noui huius M. Antonij arbitratu; præsertim quùm idem in Menechmis scripserit:

Qui neque esum vocantur, neque vocant.

Est & alterum paulò leuioris operæ Scenâ sequente, quod Cocus Phædromi

dromi rogatus à Cappadoce, vt in coniiciendo, quod viderat, somnio operam commoditare haud grauaretur sibi, eidem respondet protenus:

Tametsi non noui dabo.

nisi fortè hoc dicere velit in arte coniectandi somnia, siue hâc diuinandi scientiâ rudē se parumque exercitum; vel certè Lyconem ignorabilem tum de facie tum de colore obiici sibi (in quo ambiguitas (vt vides) gratiam conciliat dicto maximam) & tamen illi operam se præbere paratum; quod quàm aliis placeat ignoro, mihi certè haud satisfacit hoc loco. non quod absurdam esse eiuscemodi interpretationem arbitrer, sed quod haud paulò probabilior mihi videatur lectio, ità vti ego semper eam rescribendam existimaui:

Tametsi non voui dabo.

Vouere enim idem quod *Promittere*, seu *Addicere* significare, nam quis est qui ignoret?

AD CVRCVLIONEM

CAPVT XXIII.

Processum in Curculione repurgitandâ, illustrandâ. Scires velle gratiam tuam. Aleæ *nomine Talos, Tesseras, Nucès denique promiscuè ac generatim censa cluisse antiquitus.*

IN eiusdem Fabulæ Actûs II. Scenâ III. Curculio paratragædians, omnesque, ob lepidum nimis quem Phædromo apportat nuncium, Comicâ licentiâ de viâ decedere sibi, plusquam Ædilitiis Edictionibus, ac minaciis iubens inducitur. quas ille Genius eiusdem tacitè subauscultans, atque hanc Parasiti sui insolentiam non ferens, secum obloquitur porrò quasi castigans:

Rectè hic monstrat si imperare possit. nam ità nunc mos viget,
Ità nunc seruitium est. profectò modus haberi non potest.

Quid autem volunt sibi verba illa? *Si imperare possit.* an quod Lambinus nobis con-

bis consomniauit? id est. *Si imperandò assequi possit, vt quod monstret fiat.* Gerræ germanæ, atque ædepol liræ liræ. Neque id idem ille Lambinus infitetur, aliam à se lectionem substituens hoc modo: *Si impetrare possit.* Quæ eius hominis coniectura tanti non est, vt me ab exemplo deterreat. proinde & ipse quod sentiò in commune proponam, tentaboque an vera porrò Poëtæ scriptura electari possit hoc modo:

Rectè hic monstrat se imperare posse.

Hoc est, satis verbis, imò logis suis ostendit, qualis factis & quàm impotens demum futurus sit, si quidem Imperator euadat scilicet, Imperiumque ei publicis Populi suffragiis decernatur. nisi si quis vulgariam lectionem tueri se malit atque interpretari hoc modo, vt significet Phædromus; Facilè ex verbis huius est coniectare, si imperandi ius habeat, vtrùm parem se Imperio præstare possit, an secus. sententiâ à priore illâ non nimium abhorrente. cui respõdet iocus ille Hègionis in Captiuis; itidẽ in *Parasitici ordinis* hominẽ haud minus festiuiter detortus:

Hic qualis Imperator, nunc priuatus est!

Ibidem Parasitus facete commemorat, religioni fuisse sibi vocationi Militis non assentiri, verbis illis, quorum breuiloquentiam tacitam hîc præterire mihi quoque religio est.

Vocat ad cænam: religio fuit, denegare nolui.

Nam quæ maior obsecro famelico Parasito religio obiectari potuit, quàm spes cænatica? vel iuxtà illud Stichi:

Sed generi nostro hæc reddita est benignitas;
Nulli negare soleo, qui esum me vocat.

Lepida ibidem porrò illa sermonis tralatio, adeoque condigna esuriente Parasito. Nam quùm certam spem, ne fiduciam dicã eidẽ apparato de prandio fecisset Phœdromus, dixissetque:

Imò si scias reliquiæ quæ sient;

manducus ille moræ longioris impatiens: *——Scire nimis lubet*
Vbi sient. nam illis conuentis sanè opus est
meis dentibus.

alludens nimirum eò, quod suprà eidem præiuerat Phædromus, quùm præproperus ille quæsiuisset:

CV. *Quis vocat? quis nominat me?* PH.
Qui te conuentum cupit.

Conuen-

Conuentionem, quam sermoni tribuere solemus, ad dentes suos iampridem dentientes per ridiculum accommodans; satis pòl parasiticè.

Eidem posteà, quùm inanem è Cariâ, quò argenti mutui petendi caussâ ablegatus fuerat, reuorti intelligeret, exprobrat Phædromus:

Perdidisti me. At ille quàm benignè!
——Quid lubet perditum dicere te esse?
Inuenire possim, si mihi operam dabis.

Quod Lambinus de argento, cuius gratiâ in Cariam missus, dictum videri cupit. ego de ipso Phædromo qui se à Curculione perditum dixerat, interpretor. at Parasitus in diuersum sensum obiectionē illam retorquens, quasi Phædromus dixisset: *Amisisti me* (nota enim ambiguitas in verbo *Perdidisti* hoc loco) *Possim* (inquit) *inuenire te, si mihi operam addere volueris.* non aliouorsum quàm ad perditarum, id est, amissarum rerum, quibus conquirendis, imò potius recipiendis satagere consueuimus, fortuitam recuperationem respiciens. Quò etiam referunda illa, quæ paruo interuallo deinceps sequuntur:

PH. *Perdis me tuis dictis.* CVR. *Imò seruo, & seruatum volo.*

Illa verò reducis Parasiti ad Phædromum narratio:

Video tuum sodalem, argenti rogo vti faciat copiam.

Scires velle gratiam tuam. noluit frustrarier. quod magnis viris negotium facesseret, caussa non erat. Proinde Lambini interpretationi subscribo, receptam scripturam confirmantis:& *Gratiam*, prò amicitiâ studioque, seu fauentiâ positam accipio. nisi si quis *Grates* potius interpretari se malit mihi. Ei enim homini gratias agi,& quidem ingentes, dignum & consentaneum videtur, qui amicum egentem vanâ spe producere, ac Gallâ credulitate lactare nolit; sed verò statim id quod res est, palàm,hoc est,ingenuè ac more maiorum simpliciterque edictet, ei nempe commodandi ac gratificandi quod petit,suppetere quidem voluntatem sibi, cæterùm copiis & facultate destitui, quò minus ipsi ex vtriusque sententiâ (proinde vt æquum est amicum) opitulari per tempus ac subuenire possit.

Pergit

Pergit ibidem successus porrò suos narrare Parasitus:

Postquam cœnati atque appoti, talos poscit sibi [in manum.
Prouocat me in aleam, vt ego ludam, &c.

Ludi Talarij rationem eleganter nobis, vt omnia, præiuit doctissimus Lipsius in Antiquis suis. Cæterùm illud nobis mirari haud leuiter subit, quamobrem esuritor ille narret, se in aleam prouocatum à Milite, eo dico, qui non tesseras sibi, sed talos in manum poposcerat prius. Hæc enim inter se dissidere omninò videntur, nisi si dicamus *Talorum iaciundorum disciplinam* siue *Astragalismum*, eundem planè cum *Tesserario ludo* fuisse; aut certè communi *Aleæ* nomine vniuersa istiusmodi ludorum genera indifferenter comprehensa antiquitus, nec talos, aut tesseras modò, sed verò & nuces. Martialis:

Supposita est blando nunquam tibi tessera talo,
Alea sed parcæ sola fuêre nuces.

Idem alibi:

Alea parua nuces & non damnosa videtur.

Alea igitur, vt dixi, generatim accepta. vnde iugis posteà Prouerbiorum thesaurus natus denique.

A D

AD CVRCVLIONEM.

CAPVT XXIV.

Malè meditato malè dicax. Latrones generi Lenonio *succidanei subditi, probabili ex coniecturâ.* Facile viuere, Facillimè agitare, *quâ notione vsurpata antiquitus.* Tricosus, *in Lucillio repositum.*

ACTVS III. Scenâ I. ità LYCO secum rationes suas subducens ingreditur:

Diues sum, si non reddo eis, quibus debeo.
Si reddo illis quibus debeo, plus alieni inest.

Credibiliter, atque ad exemplum, vt videtur, Timoclei illius:

Δημοσθένης τάλαντα πεντήκοντ' ἔχει,
Μακάριος, εἴπερ μεταδίδωσι μηδενί, &c.

Actu Curculionis IV. vbi ipse Curculio Lenonem primò, vt merebatur, deinde ad Lyconem conuersus ac Trapezitas suis item coloribus depingens, & multa probra in vtrumque ordinem pro rei indignitate palàm ingerens in Scenam producitur, Lectionũ diuersitas

ſitas in reſponſo illo Cappadocis locum corruptum manifeſtò arguit:

C AP. *Haŭ malè meditate, malè dicax es.*

Eam enim ſcripturam præ aliis Camerarius ac Lambinus amplexi videntur. Ego an ſapientius meditatus ſim, neſcio; auſim tamen liquidò aſſeuerare, non *Meditatè*, ſed *Meditato*, dandi caſu legendum, vt ſubaudiatur *Mihi*, vtque hoc ſignificet Cappadox, Curculionem Summani nomen falsò poſſidentem, (quod tamen Lenonem latebat) *malè*, id eſt, non rectè dicacem & contumelioſum eſſe in ſe, qui parum paratus inſtructusque (hoc enim *Malè meditatus eſt*) ad decertandum cum eo maledictis ac cōuiciis venerit. Omnis proinde argutia in ambiguâ ſignificatione ꝙ *Malè* poſita fuerit. *Meditatum* porrò haud aliter ſanè à Plauto vſurpari, obuia paſſim teſtimonia declarant, verbi gratiâ, *Meditatā probè duco*, &c. & alibi denique plus millies.

Scenâ porrò ſequente, quo loco Lyco Trapezita Militem facetè ac defricatè irridet hoc dicto:

—Facis ſapientius.

Quàm

Quàm pars Lenonum, Libertos qui habent & eos deserunt.

Prudenter, si consilio; fæliciter, si casu, Lambinus noster est odoratus hanc lectionem à sententiâ ipsâ coargui ac
» refelli. Nam quùm bellator ad legio-
» nem clueret is, qui negarat sibi Liber-
» tum vllum esse, & quùm duæ personæ
» duntaxat in hâc Scenâ, videlicet Mi-
» les & Trapezita, loquentes inducan-
» tur, absurdum esset Lyconem Trape-
» zitam subiicere talem responsionem:
» *Facis sapientius quàm pars Lenonum.*
» Eiusmodi siquidem responsio, si Le-
» no loquutus esset, conueniret: nunc
» quùm Miles loquutus sit, & negarit se
» Libertum vllum habere, debet hoc re-
» spondere Trapezita;
» *Facis sapientius quàm pars Militum.*

Hactenus, vt dixi, Lambinus, argumento vtique probabili vsus, & perspicuè vero, correctione non item. Vides enim quantum à receptæ sententiæ vestigiis exerret vox illa, *Militum.* cuius tamen suppositio semitam præluceat nobis ad priscam & genuinam lectionem velut è latebra eruendam.

quâ

quâ in re si mihi aliquantum iuris à doctioribus concedatur, ausim & ego officium meum facere. sic tamen vt liberum suum sibi vnicuiq; iudicium relinquam. Ipse itaque caussæ esse nil puto, quin prò τοῦ *Lenonum, Latronum*, id est, militum, mecum qui volet legant, priscæ Latinitatis conscientiâ maximè ac præsidiis confisus, quâ & *Latrocinari*, prò *Militare*; & *Latrones*, prò *Militibus*, seu manipularibus, Romuli nepotes, hoc est, Quirites illos antiquiores dixisse comperior. Fidem nobis eiusce rei abundè fecerint & exempla Plautina & M. Terentius lib. 6. de Ling. Lat. vbi nominis eius ratio planè ac dilucidè explicatur.

Addam phrasim etiam non protritam, veterem tamen ac monetæ probæ, ex Actûs V. Scenâ II.

PL. *Nugas agis.* CV. *Soleo. nam propter eas vino facilius.*

Nihil verius. Cui enim rei potius, quàm nugis, vitæ suæ commoda accepta referat homo parasitando vẽtrem inexplebilem pascere, omnemque lubidinem in luxu, confidentiam in

alienis

alienis epulis habere consuetus perdoctusque. *Nugarum* enim tractatio, propria Parasitorum prouincia. Meritò ergò propter eas ipsas *Faciliùs*, id est, lautius, seu dapsilius, magisque volupe atque ex sententiâ se victitare gloriatur Curculio. Quod quidem pol-ego sirempse planè ratione dictum deputo, quâ iidem veteres illi, *Agitare facillimè*, atque in his Terentius: *Quàm vos facillimè agitis*, vsurpabant: quùm significare vellent, *Bene rem gerere aliquem*, hoc est lautè, opulenter, & quasi Regio victu cultuque (cùm Sallustio vt dicam) ætatem degere. id quod de Scipione, Lælio, ac Furio apud Ælium Donatum testatur Porcius huiusmodi Octonario:

In vitâ Terentij.

Tres per idem tempus qui agitabant nobiles
facillimè.

Hinc etiam Plautus noster Epidico:

Quàm fortunatè & quàm facilè euênit illi?

Cui ex trauerso respondet, *Difficultas*, quæ (si Pædiano credimus) prò *Paupertate* vsurpata antiquitus: Item, *Malè viuere*, apud Horatium & Ouidium, prò *Misere viuere*; siue, Ægrè ac duriter vitam

vitam colere, ſeu ſuſtentare: & quod de horna Galliæ meſſe apud Salluſtium noſtrum Pompeius: *Et nunc malis fructibus ipſa vix agitat*, &c.

Sequitur eapſe Scenâ:

PH. *Quod argentum, quas tu mihi tricas narras?*

Vbi notandum, ἀπὸ τῶ *Tricis*, haud *Triconibus argentariis* modò, verum etiam *Tricoſis*, nomen inditum; idem ſignificantibus. quæ poſtrema vox apud Nonium, τοῖς *Strigoſis* commutatâ; mirum, Lucillianæ ſententiæ quas *Tricas* obiectauerit: itâ nunc primum Doûsâ vindice extricandas ſcilicet:

Hic tricoſu', bouinatorq; ore improbu' duro.

Alterum enim τὸ *Strigoſus* inquio (id quod omnes omnium Editiones inſedit poſſeditque hactenus) ferri quî pote? & numerorum ratione, & ſententiæ œconomiâ iuxtâ pariter cum auctore ſuo, diſertiſſimè reclamantibus.

AD CVRCVLIONEM.

CAPVT XXV.

Lambino de correctionis cuiusdam prærogatiuâ decessum. Alia quædam indidem sub manu nata.

IN postremo huiusdem Comœdiæ Actu satis frigidè partes suas tuetur Leno aduersus Militem & Phædromum. quod vt diluceat versum integrum adscribam:

MIL. *Quódne promîsti* (itâ enim per contractionem legendum, vt Trochaici gratiâ trisyllabum fiat prò tetrasyllabo *Promisisti*. id quod perperam Lambinus noster in contextum recepit)

CA. *Quid promisi?* PH. *Linguâ.* CA. *Eâdem nunc nego.*

Neque satisfacit interrogationi Cappadocis responsio illa Phædromi, *Linguâ*. Quò fit vt rescribendum hariolet:

CA. *Quî promisi?* PH. *Linguâ.*

Atqui ego nunc hanc operam perdo. Quid iam? inquies. Quia enim actum hîc agere videri possum; locum, quem Lambinus mendo fæliciſſimè liberatum,

beratum, operâ quidem suâ, cæterùm Libris Manuscriptis ducibus atque auctoribus, plus quàm militariter gloriatur, quasi à me, non ab illo primitus nunc restitutum modò deintegro obiiciens Lectori. Fateor, atque illi quod suum est reddo, *Meritò* hercule ac *Lubens*: Neque enim placet sententia illa diræ ac scæuæ Deuotionis plenissima Literatoris Itali:

—*Pereant, qui ante nos nostra dixerunt*.
non mihi vtique, qui *Laudem istam esse publicam*, eiusque adeò præmia in medio posita, atque in ius occupantium transire potissimum, à BONÆ MENTIS CONSVLTIS acceperim. Eamque porrò quasi *perpetuam Legem* in posterum persequi, decretũ est DOVSÆ. Proinde huius correctionis Laureola, quanta quanta est tandem, penes Dionysium esto. Neque mihi suffragari cupio, quòd idem istud ego ità in Aduersariis meis Plautinis ante duodecennium ex ingenio emendandum videram iam olim. Sed ego hoc amplius, quàm Monstroliensis ille, quòd locorum similium conlatione vtriusq;

noſtrûm emendationem mihi ſtabiliendam putauerim; docendumq́; eodem loquẽdi genere Poëtam noſtrum vſum Mercatore, quùm ſcribit:

CH. *Quî potuit eam videre?* AC. *Oculis.*
CH. *Quo pacto?* AC. *Hiantibus.*

Item Milite:

Quî libitum eſt illi condormiſcere? LV. *Oculis opinor.*

Porrò iniuſtitias Lenonum perfidiamque ac periuria, in hâc ipsâ Fabulâ, & quidem ab ipſo Curculione eidem Cappadoci obiecta, habuimus ſuprà; argumento quod dico, ſi qua alia, conuenientiſſima. Sic enim inibi ad eumpſe Cappadocem Paraſitus:

——CVR. *Egon' vt ab Lenone quicquam*
Mancipio accipiam? quibus ſui nihil eſt, niſi vna lingua,
Qui abiurant, ſi quid creditum eſt, &c.

Quî abiurant (ità enim ſcribendum) id eſt, quâ linguâ, vti docuimus modò, vtiq; ipſe Plautus ſuprà in Aululariâ: *Vehicula, quî vehar.* Item Sticho:

——*Et quadrigas, quî vehar.*

Cui haud diſconueniens quoque phraſis iſta Aſinariæ Sc. III. Act. II.

Quî

Quî prò iſtuc? quùm quæritaret Libanus, pro quâ re, ſiue ob quam mercem xx. commodas argẽti minas hero ſuo debitas Mercator ille Aſinarius adferret. Vbi ſirempſe planè ἀναςροφὴν, quam in τῷ *Quî cum*, prò *Cum quo*, ſiue potius *Quo cum*, apud Ciceronem ac Terentium etiam amamus; operæpretium fuerit obſeruitare. Cenſeo proinde indeclinabile vtrũque, tã plurali quàm ſingulari numero, ablatiui loco poſitum; omnibuſq; adeò generibus ἀδιαφόρως accõmodari poſſe; tum eos peccare largiter, qui prò *Quî cum*, *Quibuſcum*, vel etiam *Queiſcum*, in pluralibus Datiuis vſurpare auſi. Probo auctoritate Poëtæ noſtri ſcribentis Captiuis:

Nam vbi illo adueni, quaſi Patriciis pueris aut monedulæ, [*ſitent,*
Aut anates, aut coturnices dantur, quî cum lu-
Itidem hæc mihi aduenienti vpupa, qui me delectet data eſt.

Vbi itidem emendandum videtur:

Quî me delectem, data eſt.

Nam quæ hæc (amabo) Latinitatis ratio; vt τὸ *Vpupa*, cum Pronomine maſculino, *Qui*, coniunctum conſtruatur?

IANI DOVSÆ NORDOVICIS CENTVRIONATVS, SIVE PLAVTINARVM EXPLANATIONVM LIBER II.

AD CASINAM.

CAPVT I.

PLAVTVS *cum* LATRANTI NOMINE *explanatus. Quaternæ in eo totidem doctißimorum hominum ſententiæ exploſæ.*



ENTVM eſt aliquando ad eius Fabulæ Prologium, vbi cum *Latranti nomine* inducitur Plautus; in quo explanando non modò Camerarium, ſed verò & Scaligerum cum Cantero noſtro ſeque ac ſpes ſuas prorſus corrupiſſe

pisse intelligo. At quos viros? quorum ego profectò iudicium æquè ac meipsum amo. Proinde in sententiis eorundem refellendis, quantum potero temperare decretum est mihi, ne (quod plerosque hodie factitare videmus) aliorum criminationem gloriam meam facere velle videar: eorum præsertim, quibus (si quidem vsus veniat) sat esse non queam. Vnam hanc coniecturam excipio, quam ego illorum diuinationibus haud æquiparabilem modò, sed & multis quoque millibus præstabilem visum iri, vel quinquagenario Sacramento contendere sum paratus. Nam quod princeps ille Camerarius noster seriò persuadere conatus est nobis, Plautum ad initialem ℣ MARCI, Prænominis sui, syllabam ob canini elementi sonum respexisse; Scaliger verò ad priorem eiusdem nominis literam solum, ab eo quòd M vel μῦ, videntur edere canes, quùm irritantur; credat, si quis ingeniosis potius quàm veris rationibus facere acceptorem se postulet: non ego. neutrum enim *Latranti nomini* conuenire res ipsa

euincit: quùm alterum ſit ringentis, ſiue hirriētis canis potius; alterum mutiētis quaſi irritatæ. Reſtat tertia hallucinatio Canteri mei, qui *Latrans nomen*, pro *Canino*, à Poëta ſumptum eſſe; indidemque ad præſentis Comœdiæ appellationem alluſum autumat: quaſi verò idem valere, & *Canis*, & *Caſinæ* nomen Comicè dixiſſet Plautus, quoniam ab eâdem pariter incipiunt ſyllabâ. quod quum ſibi primùm tum aliis veriſimile facere cogitaret, miror hoc nō addidiſſe inſuper, quod mihi quondam in mentem venit, in dictione *Caſinâ* ſi alterum A ſuſtollas modò; hincque à penultimâ ad primam vſq; ſyllabam, ordine literarum per μετάϑεσιν inuerſo, fueris progreſſus, integrū vocabulum *Canis* repertum iri. Quæ vtiquè conſideratio arguta oppidò eſt & elegans; at nihil ad noſtrā hanc; quam vt Lectori inuideam, non eſt cōſilium, diutius. Igitur in verba, quàm potero, conferam pauciſſima. Ego *Latrans nomen*, ad cognomentum antecedens (PLAVTVS inquam) retrahendum cenſeo. Eius enim nominis principialis

pialis syllaba canum latrantium sonum referre clarè atque exprimere videtur. Atque equidem quùm recogito, credo Latinos illos Veteres, perperam quidem & corruptè, sed tamen Græcissantium ritu, diphthongũ istam in πλαῦ syllabã, in modum ꝟ Digamma extulisse. Vnde & Lucretij *Baubari*, & nostrum Blaffen manasse, certa, haud arbitraria est opinio; υ, in B, cõmutatâ scilicet. Hùc accedit, præter decantatissimum illud Demosthenis exemplũ, Aristophanis Poëtæ auctoritas; qui quum *canes latrantes*, seu *baubantes* potius imitari ac repræsentare vellet, *αὖ αὖ* protulerit in Scenam. Hæc quum in Aduersaria mea conieciſſem iam olim, tandem largiloquâ illâ Dionysiacorum Commentariorum mole in lucem editâ; non parum animi sollicitus eram, ne in sirempse commentationem hanc nostram (vt fit) post tot tantorumque Semonum frustationes, incucurrisset Lambinus; atque ille pòst pèperisset, quod ego pepererã prior. Cæterùm is metus de nihilo fuit. Neque enim de *Latratu*, aut

Caninæ vocis sono quicquam Monstroliensis noster, ne μῦ quidem; sed per *Nomen latrans, Latrãtis animalis nomen* significari persuasus, interpretationem hãc suam ad Festi illud traduxit, callidus:

Plauti appellantur canes, quorum aures languidæ sunt ac flaccidæ, & latius videntur patere.

vt *Latrans nomen*, prò *Canino*, positum sit à Comico.

AD CASINAM.

CAPVT II.

Matronas Rom. sine ancillarum comitatu in publicum prodire, criminis loco æstimatum antiquitus. Varronianæ sententiæ confutatio. Deliquum, *non* Deliquium *videri legendũ in Plauto: simul* Adolent, *prò* Obolent, *præter mentem Antiquariorum nostrorum.*

ACTV I. Scenâ III. Murrhina Alcesimi vxor in ædes vicinas transitura, Ancillas subsequi sese ac secundùm ire iubet, his verbis:

Sequimini comites in proximum hinc me.

Vnde

Vnde clarum fieri opinor, in more Romano fuiſſe, ne Matrona, ſiue alioqui materfamilias aliqua ordinis honeſtioris incomitata & ſine aſſeclarum ac clientarum pediſſequio, publico ſe cõmittere auderet; ne ſi in proximum quidem diuorteret (vti hinc conie̜ctare lubet) quò videlicet non culpam ſolùm, ſed verò & ſuſpiciones omnes, in alienis potius, quàm ſuis pectoribus ſitas, ſegregarent à ſe ſpernerentque quàm longiſſimè. Et idcircò non leuem huic ordini iniuriam fieri ab iis, qui comites earundem alienare atque abducere ſuſtinent, teſtimonio eſt Vlpianus.

Eâdem quoque Scenâ legimus.

Quando tibi nil domi deliquium eſt.

atque ità Varro, hunc locum proferens, ſubiungensque porrò:

Deliquium, dictum ab eo quod deliquatur: vt, turbida quæ ſunt, deliquantur, vt liquida fiant. Aurelius ſcribit, Deliquium eſſe à liquido, Claudius ab eliquato, &c.

In quo mihi haud leuiter ſanè deliquiſſe videtur doctiſſimus ille Togatorum, quem dixi. Non enim *Deliquium*,

ſiue

siue etiam *Delicuum*, (id quod Persiis plerisque nostris placuisse animaduerto) sed, *Deliquum*, meâ sententiâ legendum in Plauto. vt dicat Murrhina, vicinam suam Matronali quâdam seueritate increpans ac concastigans: Quid verò graue, si vir tuus volupe sibi atque animo obsequiũ faciat suo, quando tibi omnium bonarum rerum copia suppetit domi, nec quîquam eges. *Deliquum*; proinde nihil aliud fuerit, quàm quod nos, *Deest*, diceremus; à *Delinquendo* sic appellatum, quòd *Delinquat*, id est, deficiat, vt quidem veteres loquebantur. Vt enim *Reliquum* à *Relinquo*, siue adeò *Relinquor*; sic *Deliquum* à *Delinquo*, formatũ esse verisimile fit mihi. Quam si recipimus analogiam, *Deliquum* & *Reliquum*, opposita inter se ac diuersæ notionis esse liquidò inuenientur. exempli gratiâ: *Nihil reliquum est mihi*, id est, nihil vltrà residuum factum est mihi: econtrà; *Nihil deliquum est mihi*, id est, nullius rei indigus sum; nihilq; votis Deos solicitò, cuius inopiam patiar, cuiúsve adeò desiderium animo insideat meo.

Legitur ibidem:

C L. *Satin*

CL. *Satin ſana es? nam tu quidem aduorſus tuam iſtam rem*
Loquere. MV. *Inſipiens ſemper tu huic verbo vitato*
Abs tuo viro. CL. *Cui verbo?* MV. *Iſtras, mulier es.*

Sed enim in ſecundo verſu Murrhinæ nomen videtur tranſponendum hoc modo:

Nam tu quidem aduorſus tuam iſta rem
Loquere inſipiens. MV. *Semper tu huic verbo,* &c.

Scenâ verò proximâ, vbi veruex ille vetulus ignauiſſimus, præter ſpeciem atque ætatem ſuam per vias vnguentatus incedens, imò in manifeſtâ noxiâ à Iunone ſuâ deprenſus interrogatur:

Vnde hîc, amabo, vnguenta dolent?

Lambinus Camerarium ſequutus, *Vnguenta d'olent* prò *Olent*, dictum autumat. conſonantem enim interpoſitam hiatûs vitandi & verſus fulciendi ſcilicet. Ego autem repudiatam à Duumviris illis dictionẽ è latebrâ in Scenam retrahere conabor, ex veteris Ioachimici Codicis fide repoſiturus: *Vnguenta adolent*

adolent? hoc eſt, *Obolent?* *Ad* enim prò *Ob*, & contrà, paſſim antiquitus frequentatum, quis tam in re Antiquariâ hoſpes, qui ignoret; qui Donatum, Feſtum, & Caſcam illam Grammaticorum manum vel primoribus labiis contigerit modò?

Primo ibidem congreſſu flagitij manifeſtus Stalino vxorem palpo percutiens, remque malam blandè ac benedicè cõpellans inducitur hâc oratione:

ST. *Eia mea Iuno, non decet te eſſe tam triſtem tuo Ioui.*

Conſimiliter apud Nonium Togatarum princeps Afranius:

Iactauit (lego, *Iactabit*) *ſeſe, iactet, mihi erit triſtior.*

quod poſtremum ille ἀντὶ τοῦ *Iratior* poſitũ obſeruatione ſuâ haud indignum iudicauit. Meritò; neque ſanè aliter cultiſſimus Poëtarum Tibullus, ſcribens lib. Eleg. IV.

Nil opus eſt fletu. lachrymis erit aptius vti
Si quando fuerit triſtior illa tibi.

A.D.

AD CASINAM.

CAPVT III.

Improbioris Metaphoræ enarratio. Eâpse Scenâ maculæ aliquot deletæ. Fulgentius à Lambini insectatione defensus.

ELEGANS verò circumloquutio illa Scenâ, cuius initium est, *Vnâ ædepol operâ, &c.* vbi de Herâ, ob ancillares mariti senis amationes meritò iratâ infestâque sibi, agit Olympio Villicus:

O L. *Nunc in fermento tota est, ità turget mihi.*

S T. *Ædepol ego illam mediam diruptam velim.*

Tralatione verborum nimium festiuâ hercule ac lepidâ, sub quorũ tamẽ inuolucro nescio quid nuptæ simplicitatis latitare suspicor, quæ dormitantem fefellerit Lambinum. credoq; ad eugium Cleostratæ referẽdum potissimum; non quidem in dicto Senis, qui simplicissimè intelligit, & vxorem nimiâ bilis, quâ importunè turgebat sibi, inflatione mediam diruptam videre

dere exoptat ſolens;; ſed verò in reſponſo Villici; qui imprecationem heri ſui minimè per ſe obſcuram alio-uorſum detorquet, nempe in improbiorem (vti dictum eſt) ſenſum. Quid enim aliud quæſo volt ſibi opprobramentum illud?

O L. *Credo ædepol eſſe, ſi quidem tu frugi bonæ es.*

quàm ſi dixiſſet: Non eſt, quod Iunoni huic tuæ ruptionem vllam tantopere impreceris. nam ſi ipſe maſculus ad rem es, atque à lumbis valens, iampridem illi mediam in naturâ muliebri partem (ſic enim Eugium circumloquitur Marcellus) ſiculâ tuâ, ſeu proboſcide veriùs, ſciſſam ac diruptam oportuit. A quâ *Diruptione* haud paulò diuerſa illa quã in hac ipsâ Comœdiâ habituri ſumus poſtea: verbi cauſsâ:

S T. *Perij hercle ego miſer.*
Dirupi cantando Hymenæum.

Neque abſimiliter Cicero Epiſt. lib. VII. Ad Marium:

Dirupi pænè me in iudicio Galli Caninij, familiaris tui.

Vnde ſuſpicor in Plautino verſiculo pronomen

pronomen *Me* desiderari, post *τὸ Dirupi* statim collocandum, adstructo commate. nisi si tamen prò *Diruptus sum*, (id quod & Lipsio nostro placere video) perpessionis significatu accipiundum hoc loco. Illa verò:

Licet illo morbo, quo dirumpi cupio, non est copia.

ad præcipitem libidinosissimi Senis, qui Satyrion bibisse videbatur, tentiginem (nempe in re Veneris & nuptiarum) trahi oportere censeo. eò dico, ne quis de morbo postico seu pygiaco intelligendum præposterè suspicetur. Quò vide, an referri possint illa quoque Alexidis Comici:

Εὐδαίμων ἐγὼ, μὰ τὸν δία
Τὸν ὀλύμπιον, καὶ τὴν Ἀθηνᾶν. οὐχ ὅτι
Ἐν τοῖς γάμοισιν ἄνδρες εὐωχήσομαι,
Ἀλλ' ὅτι διαῤῥαγήσομ', ἂν θεὸς θέλῃ.
Τούτου δέ μοι γένοιτο τοῦ θανάτου τυχεῖν.

Eâdem Scenâ non placet, proinde vt in omnibus hodie exemplis legitur, ex personâ Stalinonis prolatum:

Benedice. Dîs sum fretus, Deos speravimus.

malimq; præteritum illud in futurum tempus commutari hoc modo:

Deos sperabimus. Illo autem versu:

Non ego istud verbum emissim titiuillitio.

Fulgent. Placiades legit: *Empsitem.* ex quo, *Empsim*, concinnandum videtur planissimè. Scenâ proximâ:

Tibi quidem ædepol ita videtur, stimulus ego nunc sum tibi,

Eo quod corculum assudassit iam ex metu.

sententia exigit vt legatur:

Eoq; corculum assudascit, i. e. m.

In eiusdem Fabulæ Actûs II. *Scenâ vltimâ*, commaritum suum Olympionem vetulus ille amator obsonatum ablegans, præstinari iubet sibi ex omni copiâ piscariâ potissimum;

Sepiolas lepidas lolliginunculas hordeias,

molliculas hercule escas omnes, nisi mihi *Lepidæ* illud stomachum peruelleret. quocirca ex voluntate Camerarij dispicere Lectorem velim, num nuptiali huic cænæ *Lepadæ* conueniant potius. Hoc enim genus in piscibus, ab iis, qui hanc disciplinam profitentur, in Rudente nominatur. Vereor tamen vt satis sincera sit lectio: hoc magis, quòd Nonius *Lopades* citat; addens, genus esse conchæ marinæ, adducto insuper

ſuper Plauti teſtimonio tali:

Addite lopades, echinos, oſtreas.

Quæ ſi quis ſingulatim cum eiuſdem Poëtæ loco, qui Rudente, vt dixi, legitur, componere ac comparare voluerit, videbit eaſdem eſſe *Lopades* in Nonio, quæ in Plauto, *Lepadæ*.

Sculponeas ibidem quas habes, Monſtrolienſis noſter de Priſci Catonis ſententiâ genus calceamenti Ruſtici interpretatur. Sed verò longè aliter Fulgentius his verbis:

Sculponeas, dici volunt cæſtus plumbo ligatos.

Vtrumque, meo quidem iudicio, rectè. Eſt enim ἀμφιβολογία in voce, *Sculponeas*, duas pariter res denotante, & *Calceamenta*, & *Cæſtus*. Quod quidem ſi probè attēdiſſet Lambinus, nunquam profectò Fulgentium lapsûs, vel erroris inſimulaſſet hoc loco.

Concludam hoc Caput emendatiunculâ quapiam. Nam vbi Olympio Villicus marſupio accepto obſonatum miſſus à Sene, hincq́ue porrò ad Forum properans quærit ex eodem Heróne, an Riuali ſuo: *Iamne abeo?* quaſi dicat: Nunquidnam eſt, quod

 amplius

amplius à me accuratum velis? non placet mihi Herilis illa responsio: *Volo.* Quippe plena ruris, nec ad Genium Senis adeò delicati vllo modo faciens. Proinde legere ac rescribere non dubitem: *Vola.* Quam lectionem haud ego modo, sed enim sententia ipsa manifestò efflagitare videtur.

AD CASINAM.

CAPVT IV.

Insignioris loci restitutio. Colax Næuianus. Plautinam Militem *per eapse tempora scriptam, siue actitatam videri, quibus Poëta ille Campanus ob effrenem & plusquàm Satyricam dictorum libertatē à Triumuiris Capitalibus in phylacâ Romæ habitus memoratur.*

NVLLVM hercle scitum scitius esse deputo eâ Scenâ, in quâ Duumuiri illi Capulares Stalino & Alcesimus inducuntur, cui cùm alter ille ignauissimus mandasset, ædes vacuefacere t-

cuefaceret, quò videlicet loci liberi poteſtas foret ſibi, vbi ſe cum Speratâ ſuâ, clam vxorem in nuptiis apparandis occupatã, inclinare poſſet: quòmq; reſpondiſſet Alceſimus, paratum ſe vicini ex ſententiâ omnia, quæ rogaretur, facere: nec vxorem modò ſuam, verùm etiam ſeruos, ancillas, quantum eſt ſibi, extra ædes protinus eliminare ad eum porrò in proximum traducendos, & quidem *cum cibo ſuo quemque, quaſi eant Sutrium*, ex præſcripto Colacis Næuiani: ſubiicit Stalino tandem, vicini erga ſe ſtudium nimis pol laſciuibundè, imò nequiter plus ſatis verbis extollens & quaſi confirmare ſatagens id quod dixerat anteà, ipſum nempe *nimium ſcitè ſcitum eſſe.*

ST. *Hem, nunc enim tu demum nullo ſcito ſcitus es.*

Inſcitè adeò & inſcienter. Nam quæ obſecro locutionis ratio eſt illa? *Tu nullo ſcito ſcitus es.* Quæ ſi inepta meritò ac barbara ab iis, quibus aut palatum aut pectus ſapit, cenſenda eſt, quid reſtat quæſo, quàm vt *Scito ſcitus* iſtud ex hâc decuriâ exigamus, aliamque ſcri-

pturam porrò, amatori Seni conuenientior quæ fiet, eius vicem supponamus denique, ad hoc exemplum, quod subiecturi?

AL: *Meminero.* ST. *Hem, nunc enim te demum nullum scitum scitu'st.*

vt sit iocus in allusione nominis, *Scitum*, ex altero eiusdem loco interpretandus scitissimè, qui exstat Pseudolo, huic prorsus geminus, vbi scitè *Plebiscitum* appellat, quod hîc *Scitum*. Eius verba apponam:

PS. *Ecquid is homo scitus est?* CH. *Plebiscitum non est scitius.*

Caue enim tu Lambino insistas credere, qui continenter hæc Alcesimi locutoris personæ assignare ausus, ac Stalinonis nomen è medio sublatum in sequentis versus vestibulum traducere, mirum quas tenebras toti huic offuderit Scenæ; prorsus, intelligendo faciens, vt minus etiam quàm nihil intellexisse videatur. Vide, mi Lector, & ride.

Quod verò *Colax Nænianus* citatur à Plauto, mirum nemini videri volo, qui quidem sciat, Næuium Plauto ætate

aliquantò

aliquantò superiorem cluisse, aut certè versus illos commeminerit è Milite:

Nam os columnatum poëtæ inesse audiui barbaro,
Cui bini custodes semper totis horis accubant.

Vnde paret iam tum etiam, cùm eam Fabulam commentaretur Plautus, Næuium in vinculis Triumuiralibus siue adeò custodiâ publicâ fuisse, vnde posteà per Tribunos Plebis liberatus. Quis enim non videt, Periplictomenem hoc loco sic quasi de re præsentis, non futuri aut præteriti temporis fabulari.

AD CASINAM.
CAPVT V.

In duûm locorum exegesi facta à Lambino discessio: Iunianaq; in Fulgentio castigationi subsidium latum. Catillare *quid, eiusq; verbi originationem à* Catillis *potius, quàm* Catellis *illis Fulgentianis deriuatā videri.*

TENEBROSVS mehercule locus ille Scenæ proximè sequentis:

Non ecaſtor vilis emtu'ſt modius, qui venit, ſalis.

Cui quum aliquantam lucis ac medicinæ copiam facere ſe poſſe ſperaret Dionyſius noſter, nouam neſcio quam de ſentẽtiâ Turnebi, allegoriam commentus eſt nobis, adiectâ interrogationis notâ, in hunc ferè ſenſum:

Nónne ſal vili emitur, quum ſit tanta eius penuria, & quum hi duo Senes ſoli in Ciuitate ſalem, id eſt, prudentiam habeant? proinde quaſi diceret, quum ſit tanta ſalis in vrbe egeſtas, nónne debet eſſe cariſſimus?

De quâ commentatione ſi quis me, quid ſentiam, quæſiuerit; nónne meritò videar reſponſurus, quod olim in re diſſimili ac verbis nonnihil immutatis Catullus noſter?

Nulla in tam ſalſo ſcommate mica ſalis.

Aliud proinde aliunde quærendum; & fortaſſe leui interpolatione emendandum:

Non ecaſtor vilis emtu'ſt modio, qui venit, ſalis.

vt ſignificet Cleoſtrata Alceſimum vicinum, eum dico, qui viro ſuo Stalinoni liberi loci poteſtatem, vbi nequam

quam, hoc eſt, nequitias libidineſque cum Caſinâ furtim ac ſine arbitris (teſtibus enim haud audeo dicere) in ædibus faciat ſuis, non ecaſtor vilem, id eſt, carũ eſſe etiam modio ſalis contrà (vti paſſim fabulatur Plautus) quum ſal ferè viliſſimo pretio perhiberi ſoleat; quippe in pauperum menſis ac ſalinis ſplendere conſuetum, ſi quidem Flacco credimus, ità res ſuas inopes ac paupertinas deſcribenti:

Splendet in menſâ tenui ſalinum.

Quem *Salem* tamen pluris pretij eſſe videri cupit, quàm vicinũ illum ſuum, quem dico, qui tam nequam & nihili ſit, vt domi iam ſuæ lenocinium inſtituere non pudeat, præter ætatem, tum ſpeciem, amoris alieni conciliatorem & quaſi ſtupri ſequeſtrum factum ſcilicet.

Ibidem porrò Alceſimus inducitur, Cleoſtratam de Nuptiis ſeriò hercule ac vero vultu percõtans, ad quas vxorem ſuam accerſitũ iri ſperauerat, quò videlicet ipſus interim amico commoditaret, ac liberum Stalinoni locum præberet, cum Caſinâ Nuptias ſecretò

faciundi, at illa cauta ac sagax, id quod res erat iam anteâ subodorata, quò litigij quidpiam inter duos istos *Comicos Senes* contraheret, negat *vxoris se eius operam morarier.* quod vicinus iste, prò rei indignitate, irridiculum haberi se ratus, iratusque amatori illi hircoso atque edentulo, qui hoc flagitij contraxerit sibi, subiicit inter cætera, non sine iustissimâ expostulatione:

Operam vxcris polliceor foras,

Quasi catillatum. hoc est, vti ego interpretor, quasi *ad catillandum*, seu liguriendi gratiâ potissimum operam suam foras elocantis, dum electilia ac Geniales tantùm cuppedias consectatur, specie adiutricis, per caussam Nuptiarum; eò honestiorem, quoniam vicina foret. cuius velamēti fiduciâ freta, haud dico insinuare, sed vltrò ingerere ac rectâ sese in alienam culinam penetrare non dubitet Murrhina. Sententia plana, & quam Fulgentiana nobis, hoc ipsum exemplum præeuntis, laudatio confirmat. Sic enim est apud illum:

Catillare, est per alienas domos ligurire (hoc enim malo, quàm *Gyrare* cum Lambino)

bino) *tractum à Catulis, quod per omnes domos circumearent.*

Ego tamen, *Catillare* iſtud, ex Idiotiſmo noſtro propriè; Platelen lecken/ interpretari mauelim; non quidem à *Catulis* illis Fulgentianis, ſed à *Catillis* potius (& *Catini* ſcilicet diminutiuo) verbi formatione quæſitâ; Etymo probabili cumprimis. Quod ſi cui in Caſinâ Plauti, lectionum varietate inducto, haud *Catillatum* coniunctim, verum potius diuiſim (id quod in aliis eſt) *Catillæ. tum*, &c. emendari placeat, non magnopere reluctabor. tantum mihi fraudi ne ſit, & hîc quoque ſeorſum à Dionyſio ſentire, qui *Catillæ*, quaſi *viroſæ*, interpretatur, hoc eſt, alienorum virorum appetentis; opprobrio pudendo, Matronæ præſertim,

Cuique tegit medios inſtita longa pedes:
quum contrà intelligi debere, res ipſa euidentiſſimè arguat; Alceſimuſque aliud nihil, quàm *Liguritricem*, innuere velle videatur.

AD

AD CASINAM.

CAPVT VI.

In loci cuiuſpiam Plautini enarratione ſecunda haud vſquequaque facta Dionyſio noſtro.

SCENA porrò, ab hac, tertiâ, eleganter & graphicè exprimitur iratorum, ſerramque inter ſe inuicem ducentiũ affectus; quos vulgò hunc morem obtinere videmus, vt ſermones mutuos quaſi per deridiculum æmulentur, vnam eandemque voculam, cum ſtomacho, & cõtumeliâ alterius, crebro identidẽ iterantes. Quid enim feſtiuius, quàm plus minus duodecies in verſibus pauciſſimis particulã *Quin*, inter duos verueces vetulos, Coemptionales & Comicos ſenes, per imperfectas ſeu dimidiatas dictorum velitationes repetitam videre? in quibus illud omniũ mehercule lepidiſſimum, Alceſimum vicinum ſeſe atque vxorem ſuam à Stalinone ludos fieri atque irrideri opinatum, haud re modò, ſed & verbis, ob crebram dictiunculæ iſtius

istius,quam dixi,iterationem; tandem tautologiæ eius exemplum quasi imitantem,in Thiestæas preces præ nimiâ animi iracundiâ erumpere; multaque probra pariter sine intermissione aut pausâ,in miserrimum illum amasium, improbissimâ contentione aceruatim ingerere; in quibus nec pes, nec caput apparere videtur; dum vitreâ bile incensus Senex nihil pensi habet, quid primum,quid posterius fabuletur,modò iracundiæ (cui ætas illa cumprimis obnoxia) morem gerat, stomachoque obsequelam faciat suo: quam semihiulcis istiusmodi dictorũ coagmentis, nimiumque inconditâ perturbatæ orationis serie, quasi scopis solutis explet denique. Nam quum alter *larua amator ille* improbus atque edentulus dixisset prior: *Quin me perdis.* respondet Alcesimus: ——*Quin bene est,*

Quin etiam diu morabor, quin cupio tibi,
Quin aliquid ægrè facere, quin faciam lubens,
Nunquã tibi hodiè, quin erit plus,quàm mihi,
Quin hercle Dî te perdant postremò quidem.

Hæc adeo sic explicanda: *Quin bene est,* id est,gratulor & volupe est mihi,subaudi-

audi, te meâ operâ ac comitate potissimum (vti prædicas) disperire. *Quin etiam diu morabor*, id est, pertendam quamuis diu, ac perdurabo denique in hâc male tibi tum dicundi tum faciundi sententiâ: vel potius (id quod Lambino placet) in dicti huius quasi concepti formulâ perseuerabo, nempe vt malum exoptem tibi. *Quin cupio tibi*, eadem nimirum quæ prius, id est, mala omnia, vt pereas scilicet. nisi si quis ad sequentia potius pertinere censeat, vt dicat Alcesimus: *Quin cupio tibi ægrè facere*, orationis suæ seriem interpositione particulæ *Quin*, identidem repetitâ confragosam, perplexam, ac contortiplicatam faciens de industriâ. Atque ita partim ego, partim Lambinus meus rectè atque ordine: quartum versum excipio, præposterè ab eodem (meâ quidem sententiâ) intellectum. ad quem hoc loco enarrandum comitas est mihi, si quidem ad auscultandum Lectori erit benignitas putoque referundam rem omnem ad eampse particulam illam, (*Quin* inquio) toties ingestam iam antea, ne dicam, cumulatissimè

tiſſimè inculcatam. vt ſignificet ſenex: Nunquam erit tibi hodiè maior huius verbi (*Quin*) dicundi largitas, quàm mihi: id eſt, nunquam me iſtius particulæ iterationibus vinces; ne fruſtra ſies. Imo ſi eandem porrò cantilenam occentare perſeueras mihi, en me quoque gratiæ referundæ paratum; &, *Quin* iſtud, non modio neque trimodio, verum ipſo horreo; hoc eſt, ad ſatietatem, ſeu nauſeam potius, fænetatò emetiri tibi: vel eò vſque dum dicas:

Ohe, iam ſatis eſt, ohe: tacebo.

AD CASINAM.

CAPVT VII.

Magnificè patricèque amiciri. Lepidè excuratus. *Correctiones binæ in Caſinam.*

SCENA nouiſſimâ Actûs III. Olympio Villicus cum Caſinâ facturus nuptias, atque obſonatu (quæ prouincia ei ab hero decreta fuerat iam anteà) vnà cum Coquorum pompâ, quos è macello conduxerat, domum

mum reueniens nimis lepidè atque ex ſententiâ heri ſui Riualis excuratus, obuiam eidem occedens, cum deliberatione huiuſmodi, non ſine faſtidio, gloriabundus inducitur:

Atat ceſſo magnificè patricèq; amicèq; ita hero
Meo ire aduorſum?

Vbi, *Patricè* quid ſit, litem etiamnum ſub iudice eſſe video. cui ego ſanè iudicium meum interponere haud auſim: ſatiuſque duco Lambinianæ explicationi ſuccidaneus quaſi ſuffragator accedere, & *Patricè* prò *Patriciè*, hoc eſt, Patricium in morem poſitum interpretari, quàm ſcire id quod neſciam. vel tantiſper ſaltem, dum frequentibus eruditorum calculis definitum fuerit ſemel, quid hoc loco, *Patricè*, ſiue (vt alij volunt) *Patritè*, tum in Milite, *Patrita*, facere ſciant ſcilicet. Sed hæc in ſpe ſint. illud interim quod ſequitur repurgare occupemus. *τὸ Amicèq;*, dico: quod quidem huic loco non magis quadrare aut conuenire videtur, quàm *Cupreſſus naufragos* apud Horatiũ. Quid enim hocce ad magnificentiæ oſtentationem, quâ ſe in inceſſu & oc-

curſu,

cursu apud herum vti velle, fastidiliter prædixerat anteà obsonator iste villicus. Quocircà mihi dubium non est, quin *Amiciri* reponi debeat, atque hoc modo scriptura pristinæ suæ integritati restitui:

O L. *Atat cesso magnificè patricèq; amiciri, atque ita hero*
Meo ire aduorsum.

Vt significet Olympio fortunas suas supra votum fluentes superbiam decere, eoque sibi conuenientius videri, vt gloriosè ac basilicè amictu composito, hero suo aduorsus incedat, vtq; (quod est in Persa) subnixis alis & veluti ansatus contemnificè inferat sese, vt æquum erat sponsum. Ex eo enim loco hæc coniectura nata, simile nobis locutionis genus referente, exemplo quod ponam:

S A. *Nunc ego huic graphicè facetus fiam:*
Subnixis alis me inferā atq; amicibor gloriosè.

Vide & Varronem lib. IV. de Ling. Lat. in voce *Amictus.*

Sequitur secundâ, ab hâc, lineâ.

S T. *Lepidè excuratus incessisti.*

Quod Lambinus accipit, quasi in-

tellexerit Stalino, Olympionem lepidè & cibo & potu curatum acceptumque, hoc est, probè saturum ac madulsam occedere sibi. quod manifestò falsum esse, abundè arguunt ea, quæ antè hęc modò ex persona Olympionis proximè prolata lectitantur: quæ miserum Cãdidatum illum haud saturitate rusticâ ebrium, πολλοῦ γε δεῖ, verùm hercule effertum fame atque ipsâ ieiunitate ieiuniosiorem nobis repræsentant. quid enim aliud quærunt sibi verba illa esuritionis plenissima?

ST. *Quid fit?* OL. *Tu amas. Ego esurio & sitio.* nisi, haud *Saturionem* se, sed *Esurionem* ac tantùm non fame aridum aduentare planissumè? Proinde non ad *cutis curationem* (vti Lambino commentum placet) quâ prorsus expers erat Olympio, verùm ad obsonium potius, cum quo ipsum nimis lepidè excuratum incedere atque occursitare gratulatur sibi, suppositiam in Casinam (vti sperabat) impetum facturus nequissimus Senex. quiquum impotenti nimium lætitiâ, &

velut

velut vitulatione quâdam elatus, nequiter, nec decorè satis Villicum complecti, contrectare, ac tantum non subigitare cupiens videretur, exemplo ipsius suo, quod sub Actûs III. exodium habuimus suprà: ille haud paullò (si Dîs placet) pudicior hircum vetulum iam plenum ætatis animâque fætidâ à se reiiciens, contemnificumque se faciens ac fastidij plenum, subdit protinus:

Ah hodie. Quod quidnam sit quadruplicibus modis nobis enucleare conatus est Lambinus. Laudo equidem diligentiam, cæterùm Lectionem eam quomodo tolerari possit, non video: & (si meus sit arbitratus) perlubenter hercle reposuerim:

——O L. *Vah, odio es.*

De quo loquendi genere, quoniam eopse solens vtitur Poëta noster, prætereundũ puto: simul, ne per insolentiam quis existimet, memet operam atque industriæ nostræ indolem in minutiis huiuscemodi persequẽdis ostentare velle. Quòd verò herum odio esse sibi, prædicat Olympio, id non

aliorſum, quàm ad impudicas illas attrectationes, imò immũdiſſimas oſculationes, quas dixi, pertinere cenſuerim. Quò etiam referundus *Fœtor* ille, quo Senilem ſermonem olere, mox palam Hero in os à Villico exprobratum: Item:

πράγματα μοῖ παρέχεις. Poſtremò etiã:
ὦ Ζεῦ, potin à me abeas, niſi mevis vomere Hodie.

innuens ſeſe animæ eius ieiunitatem (commune Senectutis malum) diutius tolerare non poſſe: alioqui periculum eſſe, ne vomitionem ſibi graueuolentiâ commoueat ſuâ hircoſus atque olidus veruex. Quam ſententiam imitatus item Cæcilius, & ipſe Comicus, videri poteſt in PLOTIO ſuâ, in quâ maritus quidam Silicernius ac Plautino huic noſtro per omnia conſimilis, cum altero Sene vicino ſuo conloquens, ac ſuperbiam dotatæ vxoris execrans ac deteſtans ait:

S. *Sed tua moroſáne vxor quæſo eſt?* M. *Quam rogas?* (emendo, *Vah, rogas?*
S. *Quî tandem?* M. *Tædet mentionis, quæ mihi vbi domum*

Adueni,

Adueni, ac sedi, extemplo suauium datat ieiunâ animâ.

S. *Nihil peccat de suauio. vt deuomas volt, quod foris potaueris.*

Vide Gellium lib. II. cap. XXIII. cui & hoc & plura prætereà huiusdem generis Fragmenta

Nos accepta adeò referre par est.

AD CASINAM.

CAPVT IIX.

Cœnam ebriam, *prò madidâ probèque coctâ accipi oportere. Ei Metaphora à Varrone lux prælata.* Nullus, *prò* Non. Tenax, *quamuis renitente pertinaciter Lambino, retinendum.*

SCENA eâdem Edictionem Senis ad Olympionem, tum Coquos directam continet; quos cænam, quantum potest, deproperare iubet sibi, doctis, dicacibus, atque ebriosis nimis, hoc est, amatori Seni conuenientibus dictis. Ait enim:

ST. *Ego iam intus ero, facite cæna mihi vt ebria sit.*

Hoc eſt, (vti Lambinus explicat noſter) *Facite cœnam mihi ebriam eſſe*, id eſt, *opiparam, copioſam, lautam, refertamq́; tralatione ab ebriis ductâ.* Nec rectè, nec Plautinè ſatis. Ego certè aliud nihil Senem poſtulare intelligo, quàm quod idem Olympiſco ſuo ſuppalpans, ſimpliciſſimè reſponderat prius; quùm bellus ille obſonator ne, an Candidatus, interrogaſſet, quàm mox reficeret ac recrearet ſe: ——*Cœna modò ſi ſit cocta.*

Quippe qui credam, τὸ *Ebria*, hoc loco pari eâdemque licentiâ ab ebrij ſermonis amatore vſurpatum, quâ Plautum noſtrum, *Madida*, pro *Coctis*, cum in Perſâ, tum in Menechmis poſuiſſe obſeruauit magnus ille Galliæ ſuæ Phœnix Turnebus, lib. Aduerſ. XIIX. cap. XV. additâ ratione, *quòd plerumque quæ cocta ſunt, tenereſcere & madeſcere ſolent.* Iam *Madere*, & *Ebrium eſſe*, prò iiſdem non raro accipi à Poëtis, quis tam tyro in hâc doctrinæ humanitate, qui ignoret. Huc addatur prò mantiſsâ Varronianum illud ex lib. IV. de Linguâ Latinâ.

Dictum Aſſum, quod aſſudeſcit, & ideo ſudandum

dandum assum distillat calore.

Actûs quarti Scenâ II. quo loco solus secũ, ablegatâ ancillâ speculatrice, incœnatus nequissimus Senex, cuius omnis in Casinâ potius, quàm in patinis animus erat, nouam nuptam pro foribus exspectat obambulans, ait tandem:

Qui amat, tamen hercle si esurit, nullum esurit.

Nullum, id est, nihil esurit, vt vult Lambinus. Mihi potius *Nullus* placet. quod pro *Non*, interdum poni solere obseruatum à Donato ad Terentium, in cuius Eunucho esse videmus:

Memini, tametsi nullus moneas.

Item Hecyra:

Si quæret me, vti tum dicas; si non quæret, nullus dixeris.

Phrasi & probâ & vsitatâ Heroibus illis Latinis, nec minus Plauto Asinar.

Libanum in tonstrinam, vt iusseram venire, is nullus venit. Item Bacchid.

Tu nullus affueris si non lubet.

denique pluries alibi. Sententiam autem hanc ipsam, quam in rem suam pro re natâ profert amorabundus & cui spissa omnia, Casinæ desiderio, vi-

debantur, Stalino; eam verò planissimè enarratam habemus in Mercatore his verbis:

Nam qui amat, quod amat, si id habet, id habet pro cibo,
Videre, amplectier, oscularier, alioqui.

Flagitiosa porrò illa Scenæ insequentis; neque mehercule digna, in quæ neruos aliquis intendat suos, sed tamen Plauto nostro haudquaquam pigenda aut pænitenda. Quo magis miror quidnam Camerarium mouerit Stalinonem istumPlautinum parte eâ, quâ vir erat maximè, contrà Celtiberi Poëtæ leges, ire castratum. Hæc enim consulto (vti apparet) consilio prætermissa in eiusdem editione post verba hæcce Olympionis:

Ædepol na tu sis esses equus, esses indomabilis.
ST. *Quo argumento?* OL. *Nimis tenax es.*
ST. *Num me expertus vspiam?* OL. *Dii melius faciant.*

Lambinus *Tendax es* legendum contendit, vt eum intelligamus equum, qui nimiâ & nimis crebrâ tentigine concitatus frenum mordet, & calcari non paret, à *Tendendo* sic appellatum, vt &

vt & *Tentigo*. Cui aptè Senem hinnibundum comparat Villicus. Ego contrà *Tenax* retinendum censeo, idemque arbitror significari. *Tenere* enim & *Tendere* eodem sensu priscis illis accepta, quemadmodum etiam *Pertinere* ac *Pertendere* composita vtrorumque, item *Obstinere* & *Ostendere* apud Festum. Sic tamen vt etiam ad equum asperum, & (vt Naso loquitur) *contrà sua frena tenacem*, ambiguè allusum suspicer à Plauto. Quod verò Olympio indomitam illam Capularis heri sui catulitionem siue insulturam potius hâc à se deprecatione amolitur, consentaneum illud alteri cuidam, in re prorsus consimili, Pseudoli loco, quem immeritissimo suo exulantem Plautinæ scenæ denuò princeps nuper restituit Lipsius, vbi ex Lenone Ballione sciscitatur Pseudolus:

Eho, nunquid tu huius nupsisti patri?

respondet Ballio: *Dii melius faciant.*

AD CASINAM.

CAPVT IX.

Receptæ ſcripturæ vindicatio. Alia correcta atque enarratá planiſſimè: additâ ſententiæ verniliorís explicatione, in Camerariâ Editione hactenus deſiderata.

SCENA proximâ repulſam à Caſinâ patiens ſponſus, quoniam is, quaſi iocans in re ſeriâ; manûs ad papillas eius nequicquam admouiſſet, ſubdit denique: ——*Hei miſero mihi.*

ST. *Quid eſt?* OL. *Pectus mihi agit nunc hac cubito.*

In cuius loci tractatione vir doctiſſimus, vnicèque cum de me, tum de totâ re literariâ ſuprà omnes mortales meritus, ſuſpicatur Plautum ἀρχαικῶς ſcripſiſſe: *Mihi tagit.* haud tralaticiè. Ego tamen receptam lectionem mauolo. *Agere* enim non ſolùm *Tangere* ſimpliciter, verum etiam *Trudere* ſeu *Tundere* potius, & quaſi vi quadam propellere ſignificat. idque verum adeò & Plautinum puto. niſi ſi cui Poëtam

noſtrum;

noſtrum, *Icit,* ſcripſiſſe, volenti fuerit magis: quæ vox in *Igit*, degenerauerit poſteà; virtute librariorum maximè, G, pro C. commutantium; & contrà: Vnde, *Agit* iſtud per exemplaria proſeminatum denique. Sic *Maceſtratus*, pro *Magiſtratus*: Item, *Acetare*, pro *Agitare* veteres paſſim ſcriptitare ſolitos, nec Caſcarum Inſcriptionum, nec Pompeij nobis auctoritas mentitur.

Pergit nugari ibidem cum Candidato ſuo in nouâ nuptâ proſequendâ nimias ſanè delicias faciens Stalino:

Bella (lego: *Bellè*) *bella tu mea.*

Poſtquam enim Olympio, qui Caſinam, quam deductum ibat, iampridem intrà præſepes ſuas habere, cupientiſſimo animo geſtibat, dixiſſet: *Quin imus ergo?* ſubiicit nequiſſimus Senex, Caſinæ (vt ipſe putabat) auriculam vellens, blandèque ac benedicè commonefaciens, Bellè, hoc eſt placidè, pedetentim ac ſedato niſu & (quod ſuprà dixerat) *ſenſim intrò progredere porro*, ne videlicet incurras vſpiam, néve ad inferum limen offenſo pede (vt ſolet fieri) temerè àut fortuitò impingas.

Quæ

Quæ res ſilicernij amatoris ſollicitudinem arguit, miſerè atque anxiè nimis prò Caſinâ ſatagentis, ne quid tenellæ ac delicatulæ illi inter progrediendum ſecus, quàm vellet, eueniret. Ita autem legendum, vt dixi, neminem in controuerſiam vocaturum ſpero, qui modo meminerit Plautum eodem ferè modo alias locutum. vt Aſinar.

Scenâ: *Cur me retentas.*

I ſanè bella bellè.

item Curculione:

Scenâ: *Ite pra virgo.*

Sequere iſtum bella bellè.

Illud vero: *Bella tu mea*, in re pariſſimâ vſurpatum comperior in Rudēte. vbi Sceparnio ſeruus ſubitò Ampeliſcæ, quæ aquam à ſe petitum venerat, & formâ & oratione captus inducitur, nouam amaſiam ſuam, quam præſentem eſſe putabat, tranquillare ſibi ac malaciſſare ſe ſtudens:

Hem tibi aquam, mea tu bella, hem ſic volo
Te ferre honeſtè, vt ego fero, vt placeas mihi.

Tandem ad Cataſtrophen Fabulæ veniamus, cuius bona & magna pars, relictis paſſim ſpatiolis aliquot, in Camerarij Editione omiſſa deſideratur; non quod hæc ipſa nō ſatis ei Plautina viſa

viſa, ſed quod aures (credo) piæ laſciuam & procacem illam nuptialium verborùm licentiam nõ ferrent. Caſtè quidem ille & cautè. cæterùm ego tam ambitiosè triſtis videri nolo, vt vel Plautum, vel alium quemuis de notâ vetuſtiore, caſtratione alicuius indigere exiſtimem, in tantâ præſertim Scriptorum Latinorum inopiâ: quæ nobis hercule ſatis cauſæ eſſe debet, quamobrem etiam ſingulas horundem ſyllabas in pretio habeamus, nedum vt ipſos totis inſuper verſibus defrudemus. Atqui hoc facinus in Caſina patratum æquo animo pati poſſim, niſi me feſtiua ſelectiſſimarum vocum copia moueret. Quid enim illis purius, aut Plautinum magis?

——C L. *Num radix fuit?* O L. *Non fuit.*
C L. *Num cucumis?* O L. *Profecto hercle non fuit quicquam olerum,*
Niſi quicquid erat, calamitas profecto attigerat numquam,
Ita quicquid erat, grande erat.

Principiò hic vides proprietatem verbi *Calamitas*, quod nihil aliud, quàm culmorum, ſeu calamorum comminutionem

nutionem designat. Deinde *Grande* illud, nescio quid opinione grandius in se habet. Peculiariter enim frugum ac olerum fætibus conuenit: quod & Maronis *Grandia frumenta*, & *Vegrandia farra*, apud Ouidium; tum verba illa sollennia in Sacris rusticis rite pronunciari solita confirmant apud Catonem:

Mars pater, te precor quæsóque, uti tu fruges, vineta, virgulta grandire beneq; euenire sinas.

Quo tamen loco perlubenter vtique, si quidem per illos liceat, quibus est ea res in manu, ἀντὶ τ͂ *Grandire, Grandiri*, legerim, motus auctoritate Pacuuij, cuius hæcce verba à Marcello adducũtur:

Nec grandiri frugum fœtum posse, nec mitescere.

Scenâ vltimâ in Lambinianâ editione est:

C L. *Quid agis tu marite, mi vir, vnde focum ornatu hoc aduenis?*

Ab aliis vero exsulat τὸ *Focum* atque eius vicem *Secum* cusum legitur. Vnde mihi incidit suspicio rescribendum:

Vnde sic cum ornatu hoc aduenis?

Hæc habui, quæ Plautinæ Lectionis stu-

nis ſtudioſis de Caſinâ participare, in quibus ſi quid melius fortaſſe aptiúſve à me animaduorſum putabitur, cum Callicle Plautino dicam,

Non videor meruiſſe laudem, culpâ caruiſſe arbitror.

eoque veniam ab non iniquis harum mercium æſtimatoribus haud grauatim inuenire confido.

AD CISTELLARIAM.

CAPVT X.

Ad primam eius Comœdiæ Scenam. Cenſuræ aliquot.

PLAVTI Ciſtellariam quùm lego, mirari non leuiter ſubit, vnde illi in argumento ieiuno adeo ac ſterili, tanta Leporum ac facetiarum ſuppetierit comitas. Rùrſus quùm Plautini Genij atque ingenij indolem mecum tacitus contemplor, non poſſum non continuò meam ipſius ſimplicitatem incuſare, id in Comico noſtro potiſſimũ mirantis, quod eius maximè proprium eſt, & quaſi peculiare. Quocircà

decere

decere videtur magis ad docta illa dicta & multigenerem verborum elegantiam suo prétio expendendam, & oculorum aciem, & animi mentem cõuortere. quam mehercules ego non quidem patienter, neq; stultè nimium, nec quemadmodum Horatius cascos illos Pisonum proauos cum numeros tum sales Plautinos miratos prædicat, sed verò prudenter & consilio bono mirari pariter ac dilaudare capior. Nõ inficior multa in Poëtâ hoc nostro passim nouè (vt quidem nobis videtur) dicta reperitare, quæ tamen si penitius paullò inspiciantur, tantum abest, vt nostræ loquendi rationi aduorsentur, vt etiam hæc potius ab ipsis originem sumsisse videri possint; in quibus est & illud Scenæ principis:

Viris cum suis prædicant nos solere.

Quæ phrasis vti insolens auribus nostris accidit, ità contrà nemini non in ore versari consueuit: *Consuetudinem habere*, & quod ipse hic noster in eadem Scena, *Consueuisse cum aliquo*. Quâ ratione idem anteà quoque in Amphitruone visus scriptitare:

Iouem

Iouem cum Alcumena clam consuetū cubilibus.

cui affine illud item Cæcilij:

Ea me, clam se, cum meâ ancillâ ait consuetū.

Quæ tamen omnia eodem putari & poni debent. At enim iam inde à principio Cistellariæ, telam exorsi quam sumus, satius fuerit detexere. Ait proinde Silenium Gymnasio amicæ suæ, pro operâ in tempore commodatâ sibi, gratias agens:

Cum ego antehac te amaui & mihi amicam esse creui.

ἀρχαικῶς ἀντὶ τοῦ, Persuasi mihi. Sic Sallustius & ipse antiquarius non è multis, Oratione ad Cæsarem:

Equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto reperiri posse, quod non cogitati tibi in promtu sit.

Decretum est, id est persuasum, certum, & exploratum mihi, itidem vt hic.

Suas pellices esse aiunt, eunt depressum.

Eodem modo paulò antè dixerat:

Ire habitum honorem,

pro *Habere honorem*; & in Milite:

Amanti ire opitulatum. Item Persa:

Aliena ire ereptum bona,

quod postremum imitatus & Plinius Nepos in Panegyr. de eodē hominum

genere ſermonem ſerens his verbis: *Ereptum alienas pecunias eunt? perdent quas habent.* Huc adde præterea Catonis illud, *Prohibitum ire aliquid.* Adi deniq; Feſtum in dictione *Parſi.* Quid multis? exempla hoc genus amplius trecenta apud Plautum & veteres, tum apud Salluſtium inuenias. Quare his præteritis ad reliqua quæ reſtant gradũ faciamus:

Quia nos libertinæ ſumus, & ego & tua mater, ambæ
Meretrices fuimus, illa te, & ego hanc mihi educaui
Ex patribus conuentus.

Ità in libro ſuo eſſe, ſed cum raſurâ, monuit nos Camerarius, nõ ſine comperti ſſimi mendi ſuſpicione. Nam pro *Patribus conuentus,* vicarium verbum *Commentitios,* commentus eſt nobis. Quod quidem mihi æquè commentitium videtur, ac *Conticuis,* quod aliis tantoperè placuit, qui vtinam (vt eorundem & ego ſordes ac barbariem imiter) ipſi conticui fuiſſent. non quòd mihi quoque ſuſpecta non ſit vulgaris ſcriptura hoc loco; haud pòl ità inſanio, veruntamen certiore coniecturâ rei verita-

tem

tem inuestigandam, propiusque ad eiusdem elementorum ductum proximandum censeo. quod vt ipse periclitер, ita reposuero:

Illa te & ego hanc mihi educaui
Ex paribus conuentis.

vel quod probabilius videtur:

Ex partibus conuentus,

vt sit quartæ inflexionis. Sic Cicero: *Ex pacto & conuentu discere ab aliquo.* Et: *Ex conuentu pacta obseruantur*; Quæ qualia sint, iudicent doctiores. Mihi satis est, opinionem hâc de re meam comiter indicasse, quod eò feci lubentius, ne quis horum Opicorum stribiligini potius, quàm veterum dictorum rationi assuetus, vulgariæ scripturæ sententiâ ad ingenij sui captum accommodatâ, Plautum de Cœnobiarchis (hoc enim genus triuiali sermone, *Patres conuentus*, appellare consueuimus) loquutum immeritò suspicari possit. quod ne etiamnum aliquibus horum de genere eueniat, nonnullum periculum esse video. Sed extrà iocum, & apage has quæso vomicas à Plauto, neque audiendi illi, queis: ——*Ex Patribus conuentitiis,*

placuit emendari: multò minus Lambinus, —*Ex partibus contignis* rescribillanti, quod quidem ego ad Oedipum Coniectorem ablegandum censeo, ne ipsi quidem correctori sat scio, intellectum. nam de *Contigno* quod idem ad coniecturæ suæ interpretamentum Festo expensum refert,

Tanti esse duco, quanti tramas putridas.
Valeat proin, redeatq; ad auctorem suum
Illuc, scannum ad nos attulit vnde pedem.

AD CISTELLARIAM.

CAPVT XI.

Dionysiaca correctioni subscriptum; enarrationi non item, in dicto illo Comico: Nunquam ætate Hecale fies. *Insignioris sententiæ declaratio.* Meretrix fortunati oppidi simillima. Iniurius, *comparandi gradu, prò* Iniuriosius, *positum.*

EADEM Scenâ:

Nam si quidem ita eris, vt volò, nunquam ætate Hecale fies.

Ità

Ità enim lego cum Lambino: ſic tamen, vt nihil minus quàm enarrationi eius ſuffragatorem me præbeam, interpretantis: *Nunquam fies anus*, inductâ voce *Ætate*, perperam, quum ſententia Lenæ videatur apertiſſima, dicentis, filiam ſuam nunquam per malam ætatem Hecalen, id eſt, pauperem atque inopem ſeu mendicam euaſuram, ſi modò obſequentem præceptis ſuis, dictoque audientem facere parenti ſe ſtudeat, vt æquum eſt filiam, ne illi vſu veniat ſcilicet, id quod in Aſinariâ Cleæreta, in Moſtellariâ Scapha magno cum pretio atque malo eueniſſe conquèruntur ſibi, nempe ætàte & ſatietate derelictas deſertáſque ſeſe ab iis, quibus dum formoſæ & iuuenes eſſent vnis morem geſſerant atque inſeruierant modo, eoq; benefacto amatores proprios ac fautores in perpetuum fore ſperauerant ſibi. *Ætate* ergo, *per ætatem* erit, vt in Moſtellariâ:

Te deſeret ille ætate & ſatietate.

vt ſignificet Lena. Si nunc, interim dum ferrum in igne eſt tuum, in tempore proſpicias tibi, id eſt, dum hæc

forma atque ætatula eſt, dumq́ue virent genua, rei quærendæ (quæ fortunati oppidi ſimilluma, ſine multis viris obtineri non poteſt) operam dare, ac ſenectuti tuæ maturè præſidium parare volueris; faxo, ætatis vitio nunquam male quærere cogaris poſteà: pertinetq́ue eodem Terentij illud:

Quippe formâ impulſi noſtrâ nos amatores colunt,
Hæc vbi immutata eſt, illi ſuum animum aliò conferunt.
Niſi proſpectum intereà aliquid nobis eſt, deſertæ viuimus.

Veriſſima ibidem ſententia illa, ne dicam è tripode prolata, varia amoris ingenia ad viuum exprimens:

Nam & caſtor amor & melle & felle eſt fæcundiſſimus:
Guſtu qui dat dulce, amarum ad ſatietatem vſque oggerit.

Hoc enim vult dicere Gymnaſium, amorem quidem & melle & felle eſſe effertiſſimum, hoc eſt, & ſuauitatis & amaroris poculũ pariter miſcere ac tẽperare hominibus, cæterùm hoc intereſſe, quòd in dulci miſcendo reſtri-

ctus &

ctus & parcipromus, quippe quod gustandum libandumq; primoribus labiis propinet modò; amarum verò quasi de pleno promens, non modio neque trimodio, verum ipso horreo admensum largiter miserrimis mortalibus offundat oggeratque ad societatem vsque. Cum supradictis conuenit illud ex personâ Alcumenæ in Amphitruone productum:

Satin' parua res est voluptatum in vita,
Atque in ætate agundâ,
Præquam quod molestum est!

& reliqua quæ ordine deinceps consequuntur. Id adeò propterea monere visum est, vt intelligat Lector, omnem huius Eroticæ sententiæ vim omnemque efficaciam in antithetis illis positam esse, τὸ *Gustu* dico, atque *Ad satietatem*. quæ duo inter se aptissimè opponi videmus: de quo Monstroliensis iste ne *Mu* quidem Lucillianum.

Ait ibidem pessima illa Silenio consultrix Gymnasium:

Verum enim meretrix fortunati est oppidi simillima:
Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.

Cuiusmodi verò hoc *Fortunatum oppidum* dicemus? an quod alibi;

Plenum bonarum rerum atque opulentum oppidum

nominitat? Hercle verò seriò. atque eâdem planè neque aliâ phrasi vsus in Persâ:

Satin' Athenæ tibi sunt visæ fortunatæ atque opiparæ.

Eâdẽ Scenâ hæc Lenæ verba habẽtur:

Nihil amare iniurium. Sed Lambinus asserit in omnibus se manuscriptis suis reperisse: ——*Nihil amore iniurium' st.*

Vnde ipse interiectâ præpositione:

Nihil in amore iniurium' st,

vel potius adscriptâ interrogationis notâ: ——*Nihil in amore amarum est?* terebrando tandem exsculpsit callidus. Quid credam? an fortasse,

Nihil amore iniurius' st,

pro *Iniuriosius est*, comparatiuo gradu po[illegible]isse Plautum nostrũ? sicuti etiam *Periurior*, item *Periurius* pro *Periuriosius* ab eodem in Trinummo vsitata. Ego certè melius vel probabilius hoc tempore aliud quod comminiscar non habeo. Et sanè (vt quod res est fabuler)

quid-

quidnam ad veteris ſcripturæ veſtigia propius viciniúſve accedere poſſit, haud video.

AD CISTELLARIAM.

CAPVT XII.

Pluria in Ciſtellariâ enucleata, illuſtrata, partim etiam correcta.

SCENA II. eiuſdem Actûs, Lena, quæ ſaburrata probè nimiſque ex ſententiâ lepidiſſimo illo Liberi flore onuſta, ne dicam ſauciata, à Silenio diſceſſerat, largiloqua, hoc eſt, pluſquā ſat erat, loquitans inducitur, & quod tacito vſus erat maximè, foras eliminans publicitus, quò in genere illud vel ſecretiſſimum videbatur, de puellæ recens natæ, quam Melænidi amicæ ſuæ dono dederat, ſuppoſitione à ſe iniuſtiſſimè patratâ, cui hanc narrationem etiam inter res alias ſubnectit garrula:

Eandem puellā peperit, quam à me acceperat,
Sine obſtetricis opera & ſine doloribus,
Item vt aliæ pariunt, quæ malū quærunt ſibi.

Quaſi verò omnes, quæ verè ſerio-

que pariunt eduntque legitimos partus, malam porrò rem quæritare pergant sibi. Sed cogitandū hæc ex communi meretriciæ disciplinæ consuetudine sententiâque efferri: quibus maxima semper religio fuit (cum Lucretio loquar)

Compleri crebrò grauidasq́ iacere,

Quo promptiorem in re voluptatum operam hoc genus, cautionemque vltrò adhibere consueuit, vt mobili ac molli clunium motu, exossaquè lumborum fluctuantium succussatione virilem Venerem retractent: vnicum mehercule ac præsentarium (vti idem Poëta ille nos docet) muliebris conceptionis præpedimentum, ne dicam pernicies.

Scenâ I. Actûs II. Melenis in Scenam procedit, Alcesimarchum amatorem grauissimè secum de iniuriis expostulantem, lenonium in morem exagitans: eiq; palam in os nuptias; quas idem cum Demiphonis filiâ, à patre sibi inuitissimo desponsâ, facturus habebatur; nimis contumeliosè exprobrans, his verbis:

Ei sa-

Eò facetus, quia tibi alia eſt ſponſa locuples Lemnia.

Cur autem *Lemnia*, quia gens illâ peſſimè id temporis audiebat ruſticitatis & infacetiæ vitio. idque ipſum tacitè & velut aliud agens, per cauſſam oblatam ſugillare videtur Comicus; quemadmodum & Truculento ſub perſonâ Phroneſij:

Qui tam infacetus Lemno adueniens, tuæ
Qui non amicæ des, Dinarche, ſuâuium?

Ità enim locum illum in numeros ac pedes ſuos reſtituendum, ſuo aliquando loco docturi.

Eiuſdẽ Actûs Scenâ III. cui initium: *Audire vocem*, &c. pergit narrare Heræ porrò ſuæ Lampadiſcus, quæſtionem à ſe prò rei indignitate aſperè plus ſatis in Lenam, fellem illam virginariam dico, habitam atque exercitam: eamq; modò non ſuadelâ ſuâ perductam in ſuam & Phanoſtratæ ſententiam; ſed verò obſtitiſſe tantum ſibi, quòd (Plautinis porrò verbis rem exſequar)

Illæc ſe quandam aiebat mulierem
Suam beneuolentem conuenire etiam prius,
Communeque cum id eſſet ſibi negotium.

Et ſcis

Et ſcio venturam. Cæterùm poſtrema hæccc clauſula non placet; hariolorque de prioris narrationis ſententiâ reſcribendum :

Commune quâ cum id eſſet ſibi negotium, & Scio conuenturam.

Appingam & alteram emendatiunculam à me, ſub Scenæ proximè finem, vbi diſertiſſimè impreſſum exſtat : ——M E. *Abiit, abſtulit Mulierem: ibo, perſequar iam illum intrò, vt hæc ex me ſciat.*

Eadem ſic poſſum tranquillum facere ex irato mihi.

pro quo ego pòl lubenter legerim :

Eâdem ſi poſſim tranquillum facere, &c.

Eâdem, prò eâdem operâ, vt ſæpe aliâs, hoc eſt, indicio de Silenij parentibus facto, quo Alceſimarchum ſe tranquillare poſſe confidit Melenis: atque ex irato placidum ac propitium ſibi reddere amatorem.

Illud verò Actu I V. perperam, ex ingenio mutatum, edendum nobis curauit Lambinus :

Ecquē vidiſti auferre hic amabo in hac regione Ciſtellam cum crepundiis?

Oblitus

Oblitus, vt videtur, *Quærere* (id quod pro Lambiniano hoc *Auferre* in omnibus omnium Editionibus planè & probè exaratum comparet) idem plerunque significasse antiquis, quod nos composito verbo *Acquirere*, hoc est, compendi seu lucri facere atque adipisci diceremus. Exemplo fuerit Ennianum illud:

Nautisq; mari quærentibus vitam,

id est, victum comparantibus sibi, aliaque ad eampse faciem innumerabilia. Etiam malè posteà ibidem Lambinus:

HA. *Vestigium hic requiro,*
Quà aufugit quædam nescio quo mihi,

Cistellam interpretatus est nobis, quam fugitiuos imitatam videri cupit, malè inquam atque adeò incogitanter. Etenim de prædatrice cistellæ, non autem de cistellâ furtim Haliscæ subtractâ ac manticulatâ intelligendum.

A. D.

decere videtur magis ad docta illa dicta & multigenerem verborum elegantiam suo pretio expendendam, & oculorum aciem, & animi mentem cõuortere. quam mehercules ego non quidem patienter, neq; stultè nimium, nec quemadmodum Horatius cascos illos Pisonum proauos cum numeros tum sales Plautinos miratos prædicat, sed verò prudenter & consilio bono mirari pariter ac dilaudare capior. Nõ inficior multa in Poëtâ hoc nostro passim nouè (vt quidem nobis videtur) dicta reperitare, quæ tamen si penitius paullò inspiciantur, tantum abest, vt nostræ loquendi rationi aduorsentur, vt etiam hæc potius ab ipsis originem sumsisse videri possint; in quibus est & illud Scenæ principis:

Viris cum suis prædicant nos solere.

Quæ phrasis vti insolens auribus nostris accidit, ità contrà nemini non in ore versari consueuit: *Consuetudinem habere*, & quod ipse hic noster in eadem Scena, *Consueuisse cum aliquo*. Quâ ratione idem anteà quoque in Amphitruone visus scriptitare:

Ionem

Iouem cum Alcumena clam consuetū cubilibus.
cui affine illud item Cæcilij:
Ea me, clam se, cum meâ ancillâ ait consuetū.
Quæ tamen omnia eodem putari & poni debent. At enim iam inde à principio Cistellariæ, telam exorsi quam sumus, satius fuerit detexere. Ait proinde Silenium Gymnasio amicæ suæ, pro operâ in tempore commodatâ sibi, gratias agens:
Cum ego antehac te amaui & mihi amicam esse creui.
ἀρχαικῶς ἀντὶ τοῦ, Persuasi mihi. Sic Salustius & ipse antiquarius non è multis, Oratione ad Cæsarem:
Equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto reperiri posse, quod non cogitāti tibi in promtu sit.
Decretum est, id est persuasum, certum, & exploratum mihi, itidem vt hic.
Suas pellices esse aiunt, eunt depressum.
Eodem modo paulò ante dixerat:
Ire habitum honorem,
pro *Habere honorem*; & in Milite:
Amanti ire opitulatum. Item Persa:
Aliena ire ereptum bona,
quod postremum imitatus & Plinius Nepos in Panegyr. de eodē hominum

genere ſermonem ſerens his verbis: *Ereptum alienas pecunias eunt? perdent quas habent.* Huc adde præterea Catonis illud, *Prohibitum ire aliquid.* Adi deniq; Feſtum in dictione *Parſi.* Quid multis? exempla hoc genus amplius trecenta apud Plautum & veteres, tum apud Salluſtium inuenias. Quare his præteritis ad reliqua quæ reſtant gradũ faciamus:

Quia nos libertinæ ſumus, & ego & tua mater, ambæ
Meretrices fuimus, illa te, & ego hanc mihi educaui
Ex patribus conuentus.

Ità in libro ſuo eſſe, ſed cum raſurâ, monuit nos Camerarius, nõ ſine compertiſſimi mendi ſuſpicione. Nam pro *Patribus conuentus*, vicarium verbum *Commentitios*, commentus eſt nobis. Quod quidem mihi æquè commentitium videtur, ac *Conticuis*, quod aliis tantoperè placuit, qui vtinam (vt eorundem & ego ſordes ac barbariem imiter) ipſi conticui fuiſſent. non quòd mihi quoque ſuſpecta nõ ſit vulgaris ſcriptura hoc loco; haud pòl ità inſanio, veruntamen certiore conicturâ rei veritatem

tem inuestigandam, propiusque ad eiusdem elementorum ductum proximandum censeo. quod vt ipse periculum faciam, pericliter, ita reposuero:

Illa te & ego hanc mihi educam
Ex paribus conuentis.

vel quod probabilius videtur:

Ex partibus conuentus,

vt sit quartæ inflexionis. Sic Cicero: *Ex pacto & conuentu discere ab aliquo.* Et: *Ex conuentu pacta obseruantur*; Quæ qualia sint, iudicent doctiores. Mihi satis est, opinionem hâc de re meam comiter indicasse, quod eò feci lubentius, ne quis horum Opicorum stribiligini potius, quàm veterum dictorum rationi assuetus, vulgariæ scripturæ sententiâ ad ingenij sui captum accommodatâ, Plautum de Cœnobiarchis (hoc enim genus triuiali sermone, *Patres conuentus*, appellare consueuimus) loquutum immeritò suspicari possit. quod ne etiamnum aliquibus horum de genere eueniat, nonnullum periculum esse video. Sed extrà iocum, & apage has quæso vomicas à Plauto, neque audiendi illi, queis: —*Ex Patribus conuentitiis,*

placuit emendari: multò minus Lambinus, *——Ex partibus contignis* rescribillanti, quod quidem ego ad Oedipum Coniectorem ablegandum censeo, ne ipsi quidem correctori sat scio, intellectum. nam de *Contigno* quod idem ad coniecturæ suæ interpretamentum Festo expensum refert,

Tanti esse duco, quanti tramas putridas.
Valeat proin, redeatq; ad auctorem suum
Illuc, scænum ad nos attulit vnde pedem.

AD CISTELLARIAM.

CAPVT XI.

Dionysiaca correctioni subscriptum; enarrationi non item, in dicto illo Comico: Nunquam ætate Hecale fies. *Insignioris sententiæ declaratio.* Meretrix fortunati oppidi simillima. Iniurius, *comparandi gradu*, prò Iniuriosius, *positum.*

EADEM Scenâ:

Nam si quidem ita eris, vt volò, nunquam ætate Hecale fies.

Ità

Ità enim lego cum Lambino: ſic tamen,vt nihil minus quàm enarrationi eius ſuffragatorem me præbeam, interpretantis: *Nunquam fies anus:*, inductâ voce *Ætate*, perperam, quum ſententia Lenæ videatur apertiſſima,dicentis, filiam ſuam nunquam per malam ætatem Hecalen, id eſt, pauperem atque inopem ſeu mendicam euaſuram, ſi modò obſequentem præceptis ſuis,dictoque audientem facere parenti ſe ſtudeat,vt æquum eſt filiam, ne illi vſu veniat ſcilicet, id quod in Aſinariâ Cleæreta, in Moſtellariâ Scapha magno cum pretio atque malo euenisse conqueruntur ſibi, nempe ætate & ſatietate derelictas deſertáſque ſeſe ab iis, quibus dum formoſæ & iuuenes eſſent vnis morem geſſerant atque inſeruierant modo,eoq́; benefacto amatores proprios ac fautores in perpetuum fore ſperauerant ſibi. *Ætate* ergo, *per ætatem* erit, vt in Moſtellariâ:

Te deſeret ille ætate & ſatietate.

vt ſignificet Lena. Si nunc, interim dum ferrum in igne eſt tuum, in tempore proſpicias tibi, id eſt, dum hæc

forma atque ætatula eſt, dumq́ue virent genua, rei quærendæ (quæ fortunati oppidi ſimilluma, ſine multis viris obtineri non poteſt) operam dare, ac ſenectuti tuæ maturè præſidium parare volueris; ſaxo, ætatis vitio nunquam male quærere cogaris poſteà: pertinetq́ue eodem Terentij illud:

Quippe formâ impulſi noſtrâ nos amatores colunt,
Hæc vbi immutata eſt, illi ſuum animum aliò conferunt.
Niſi proſpectum intereà aliquid nobis eſt, deſertæ viuimus.

Veriſſima ibidem ſententia illa, ne dicam è tripode prolata, varia amoris ingenia ad viuum exprimens:

Nam æcaſtor amor & melle & felle eſt fæcundiſſimus:
Guſtu qui dat dulce, amarum ad ſatietatem vſque oggerit.

Hoc enim vult dicere Gymnaſium, amorem quidem & melle & felle eſſe effertiſſimum, hoc eſt, & ſuauitatis & amaroris poculũ pariter miſcere ac tẽperare hominibus, cæterùm hoc intereſſe, quòd in dulci miſcendo reſtri-

ctus &

ctus & parcipromus, quippe quod gustandum libandumq; primoribus labiis propinet modò; amarum verò quasi de pleno promens, non modio neque trimodio, verum ipso horreo admensum largiter miserrimis mortalibus offundat oggeratque ad societatem vsque. Cum supradictis conuenit illud ex personâ Alcumenæ in Amphitruone productum:

Satin' parua res est voluptatum in vita,
Atque in ætate agundâ,
Præquam quod molestum est!

& reliqua quæ ordine deinceps consequuntur. Id adeò propterea monere visum est, vt intelligat Lector, omnem huius Eroticæ sententiæ vim omnemque efficaciam in antithetis illis positam esse, τὸ *Gustu* dico, atque *Ad satietatem*. quæ duo inter se aptissimè opponi videmus: de quo Monstroliensis iste ne *Mu* quidem Lucillianum.

Ait ibidem pessima illa Silenio consultrix Gymnasium:

Verum enim meretrix fortunati est oppidi simillima:
Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.

Cuiuſmodi verò hoc *Fortunatum oppidum* dicemus? an quod alibi;

Plenum bonarum rerum atque opulentum oppidum

nominitat? Hercle verò ſeriò. atque eâdem planè neque aliâ phraſi vſus in Perſâ:

Satin' Athenæ tibi ſunt viſæ fortunatæ atque opiparæ.

Eâdē Scenâ hæc Lenæ verba habētur: *Nihil amare iniurium.* Sed Lambinus aſſerit in omnibus ſe manuſcriptis ſuis reperiſſe: ——*Nihil amore iniurium' ſt.*

Vnde ipſe interiectâ præpoſitione:

Nihil in amore iniurium'ſt,

vel potius adſcriptâ interrogationis notâ: ——*Nihil in amore amarum eſt?* terebrando tandem exſculpſit callidus. Quid credam? an fortaſſe,

Nihil amore iniurius'ſt,

pro *Iniurioſius eſt*, comparatiuo gradu poſuiſſe Plautum noſtrũ? ſicuti etiam *Periurior*, item *Periurius* pro *Periurioſius* ab eodem in Trinummo vſitata. Ego certè melius vel probabilius hoc tempore aliud quod comminiſcar non habeo. Et ſanè (vt quod res eſt fabuler) quid-

quidnam ad veteris scripturæ vestigia propius viciniúsve accedere possit, haud video.

AD CISTELLARIAM.

CAPVT XII.

Pluria in Cistellariâ enucleata, illustrata, partim etiam correcta.

SCENA II. eiusdem Actûs, Lena, quæ saburrata probè nimisque ex sententiâ lepidissimo illo Liberi flore onusta, ne dicam sauciata, à Silenio discesserat, largiloqua, hoc est, plusquã sat erat, loquitans inducitur, & quod tacito vsus erat maximè, foras eliminans publicitus, quò in genere illud vel secretissimum videbatur, de puellæ recens natæ, quam Melænidi amicæ suæ dono dederat, suppositione à se iniustissimè patratâ, cui hanc narrationem etiam inter res alias subnectit garrula:

Eandem puellã peperit, quam à me acceperat,
Sine obstetricis opera & sine doloribus,
Item vt aliæ pariunt, quæ malũ quærunt sibi.

Quasi verò omnes, quæ verè serio-

que pariunt eduntque legitimos partus, malam porrò rem quæritare pergant sibi. Sed cogitandũ hæc ex communi meretriciæ disciplinæ consuetudine sententiâque efferri: quibus maxima semper religio fuit (cum Lucretio loquar)

Compleri crebrò grauidasq; iacere,

Quo promptiorem in re voluptatum operam hoc genus, cautionemque vltrò adhibere consueuit, vt mobili ac molli clunium motu, exossaque lumborum fluctuantium succussatione virilem Venerem retractent: vnicum mehercule ac præsentarium (vti idem Poëta ille nos docet) muliebris conceptionis præpedimentum, ne dicam pernicies.

Scenâ I. Actûs II. Melenis in Scenam procedit, Alcesimarchum amatorem grauissimè secum de iniuriis expostulantem, lenonium in morem exagitans: eiq; palam in os nuptias, quas idem cum Demiphonis filiâ, à patre sibi inuitissimo desponsâ, facturus habebatur; nimis contumeliosè exprobrans, his verbis:

Ei fa-

Eò facetus, quia tibi alia eſt ſponſa locuples Lemnia.

Cur autem *Lemnia*, quia gens illâ peſſimè id temporis audiebat ruſticitatis & infacetiæ vitio. idque ipſum tacitè & velut aliud agens, per cauſſam oblatam ſugillare videtur Comicus; quemadmodum & Truculento ſub perſonâ Phroneſij:

Quî tam infacetus Lemno adueniens, tuæ
Qui non amicæ des, Dinarche, ſuâuium?

Ità enim locum illum in numeros ac pedes ſuos reſtituendum, ſuo aliquando loco docturi.

Eiuſdē Actûs Scenâ III. cui initium: *Audire vocem*, &c. pergit narrare Heræ porrò ſuæ Lampadiſcus, quæſtionem à ſe prò rei indignitate aſperè plus ſatis in Lenam, fellem illam virginariam dico, habitam atque exercitam: eamq; modò non ſuadelâ ſuâ perductam in ſuam & Phanoſtratæ ſententiam; ſed verò obſtitiſſe tantum ſibi, quòd (Plautinis porrò verbis rem exſequar)

Illæc ſe quandam aiebat mulierem
Suam beneuolentem conuenire etiam prius,
Commune quâcum id eſſet ſibi negotium.

Et ſcio

Et scio venturam. Cæterùm postrema hæccc clausula non placet; hariolorque de prioris narrationis sententiâ rescribendum:

Commune quâ cum id esset sibi negotium,&
Scio conuenturam.

Appingam & alteram emendatiunculam à me, sub Scenæ proximè finem, vbi disertissimè impressum exstat: ——ME. *Abiit, abstulit*
Mulierem: ibo, persequar iam illum intrò,
vt hæc ex me sciat.
Eadem sic possum tranquillum facere ex irato mihi.

pro quo ego pòl lubenter legerim:

Eâdem si possim tranquillum facere, &c.

Eâdem, prò eâdem operâ, vt sæpe aliâs, hoc est, indicio de Silenij parentibus facto, quo Alcesimarchum se tranquillare posse confidit Melenis: atque ex irato placidum ac propitium sibi reddere amatorem.

Illud verò Actu IV. perperam, ex ingenio mutatum, edendum nobis curauit Lambinus:

Ecquē vidisti auferre hic amabo in hac regione
Cistellam cum crepundiis?

Oblitus

Oblitus, vt videtur, *Quærere* (id quod pro Lambiniano hoc *Auferre* in omnibus omnium Editionibus planè & probè exaratum comparet) idem plerunque significasse antiquis, quod nos composito verbo *Acquirere*, hoc est, compendi seu lucri facere atque adipisci diceremus. Exemplo fuerit Ennianum illud:

Namq; mari quærentibus vitam,

id est, victum comparantibus sibi, aliaque ad eampse faciem innumerabilia. Etiam malè posteà ibidem Lambinus:

HA. *Vestigium hic requiro,*
Quà aufugit quædam nescio quo mibi,

Cistellam interpretatus est nobis, quam fugitiuos imitatam videri cupit, malè inquam atque adeò incogitanter. Etenim de prædatrice cistellæ, non autem de cistellâ furtim Haliscæ subtractâ ac manticulatâ intelligendum.

AD EPIDICVM.

CAPVT XIII.

Locorum aliquot correctio. Gradibus grandibus, celeri curriculo esse. Scurræ, *pro* vrbanis *accepti antiquitus, quibus aptè appositeq; respondent* Homines militares.

IAMPRIDEM hercule ad partes suas Epidicus nos vocat. quam quidem Fabulam æquè ac seipsum Plautus in Bacchidibus amare se testatur. Quocircà magis habenda ratio est nobis, ne quid in illam temerè. Quod vt me hic etiam,

Si qui fortè mearum ineptiarum
Lectores eritis, seruaturum sciatis, locum quendam singularem vnâ à me non amplius litterâ auctum & restitutum proponam, ex Scenâ I.

EP. *Quid herilis noster filius, valet?* THE. *Pugilicè atque athleticè.*
EP. *Voluptabilem mihi nuncium tuo aduentu attulisti. sed vbi*
Est is? THE. *Aduenit simul.* EP. *Vbi is ergo est?*

Quæstio

Quæſtio omnis verſatur in eo, quòd Epidico, de herili filio vbinam gentium eſſet percõtanti, reſpondet Theſprio: *Adueni ſimul.* Friget enim & neſcio quomodo haudquaquàm ſatisfacit interrogationi alterius. Quam culpam perfacilè effugiet Theſprio, ſi quidem in locum & *Adueni*, *Aduenit* reponatur, ſubaudi Herilis filius Stratippocles noſter. Quæ lectio quantùm præſtet priori illi, aliorum potius, quàm meum eſto iudicium.

In limine huius Scenæ Epidicus ipſe conſeruũm ſuum Theſprionem vnà cum herili filio Stratippocle recèns peregrè atque è militia reuorſum, atque ab eodem hero ſuo præmiſſum anteà, ac propterea concitatiore gradu domum à portu approperantem vix paſſibus æquis ponè aſſectans, eundemq; medio velut è curſu retractum ac reprenſum pallio, poſt mutuã conſalutationẽ, hiſce tandem verbis grallatorios eius ac militares gradus inceſſens inducitur:

EP. *Di immortales inſelicent, vt tu es gradibus grandibus.*

Nam

Nam vt apud portum te conspexi, curriculo occæpi sequi,
Vix adipiscendi potestas modò fuit.

Verum enim auris vellenda Lectori, in malâ illâ Epidici imprecatione videri desiderari Pronomen hoc fortasse modo interserendum:

Dii immortales te infelicent.

sartâ tectâ numerorum ratione, neque dissentiente Lambino. qui tamen de sequentibus prudẽtius multò (id quod res est prædico) ac circumspectius consuli potuisset. Nam quanti obsecro est illud?

Vt tu is gradibus grandibus?

prò quo in omnibus omnium exemplis antehac legebatur, etiamque nunc legitur:

Vt tu es gradibus grandibus?

probo ac perantiquo loquendi genere, & (quod rei caput) Plautinum in morem, quo idem quoque in Sticho vsus, vbi scribit:

Ita celeri curriculo fui
Properè à portu tui honoris caussa.

neque audiendi illi, qui locum illum interpolare inuerso verborum ordine

temerè

temere ſanè conati hoc modo:

Ita celeri ini curriculo
Propere, &c.

cuius ego veſtigiis inſiſtens ſedulò, videor mihi haud temerè neque calido conſilio nimis in Fragmentis Comici noſtri iampridem locum quendam Clitellariæ apud Feſtū ex hoc emendaſſe. Sic enim ibi:

Quæ niſi ſic biteris, nimium is vegrandi gradu.

quum manifeſtò & illic quoque non, Is, ſed Es Plautum noſtrum ſcripſiſſe ſatis ſuperque mihi iam acceptum autumem.

Reſpondet deinde Epidicinæ obiurgationi Theſprio, arreptâque per tempus occaſione vrbanam conſerui ſui mollitiem conſuetamq; in inceſſu ſpiſſigradiſſimam tarditatem militari conuicio retundens ait: *Scurra es.* illud credo volens dicere. Epidicum in vmbrâ inque otio vrbano molliter ac delicatè, hoc eſt, ignauiter habitum eductumque, ideoque minus mirum aut nouum videri ſibi, ſi ſe hominem caſtrenſem, gradibuſq; militaribus metari ſolitum, ipſus placidè ac vrbanum

in morem incedere assuetus, quamuis curriculo persequens adipisci, properantem præsertim, hoc est, assequi non valuerit. *Scurram* enim, non pro tenebrione aliquo, seu nebulone (vti nunc loquimur) vel qui catillandi atque alienas epulas adipiscendi gratiâ, dictã tantùm ridicularia ac scurrilia meditatè fundere condidicisset, verùm hercule: pro homine venusto dicacique ac perurbano (quod genus *Assiduos ciues* in Trinummo perhibet Comicus) antiquitus acceptum iampridem annotauit magnus ille Imperator noster Turnebus, exemplis ei rei firmandæ passim ex Plauto productis. Quod eò commonendum duxi, ne quis popularium nostrorum stribiligini adsuetus, cognomentum istud tàm ignominiosum, intestabile, omnibusque modis inuisum. deniq; priscis illis ciuisse autumet, quàm nobis hodie omni vrbanitate expertibus videtur. Atque ita (proinde vt dixi) Epidici sententiam interpretandam, manifestum vtique ex responso Thesprionis quod huic protenus subiungitur:

TiHi

TH. *Scio.*

Te esse quidem hominem militarem.

Vides enim, *Hominem militarem*, *Vrbano scurræ* ab vrbanissimo Poëtâ contrà decentissimè opponi, quasi alterius illius relatiuum. neque hîc solùm, verùm etiã Truculento, vbi Stratophanes ait:

Non placet, quem scurræ laudant, manipulares mussitant.

Quò item referundum, id quod prius prædicauerat Thesprio, se iam minus furtificum esse, quàm anteà. cuius inconstantiæ hanc quoq; caussam reddiderat Epidico suo, quòd à furtis clandestinis iam ad manifesta latrocinia ac rapinas conuorterit animum, neque iam amplius seruili ac furtificâ læuâ, verum potius harpace dexterâ grassabundus rem gerat, quippe iam miles factus, hoc est, armiger herilis, scutigerulusque ac militaris cacula scilicet, cui hominum generi haud propalàm rapere grassarique ac prædas agitare modò, verùm adulteria etiam ac cædes (non ignota nostræ Belgicæ mala) Dîs hominibusque inspectantibus, patrare passim, latrocinari, quiduis denique

 impunè

impune facere, ſtratioticum cumprimis, hoc eſt, etiam glorioſum ducitur, & quaſi prò munimento habetur.

AD EPIDICVM.

CAPVT XIV.

Arma fugitiua. *Plautus à Ioachimi ac Dionyſii calumniis optimo Iure defenſus.* Montes mali, Tempeſtatis. *Emendatus inibi Lucillius.*

LEGITVR eâdem Scenâ haud multò poſteà:

Sed quid ais? TH. *Quid rogas?* EP. *Vbi arma ſunt Stratippocli?*

Arma, id eſt, clypeus, galea, ſarcinæ, quas conſtrictas conſtructaſque geſtare, ſcuto ad dorſum accommodato, Cacularũ erat prouincia. vnde iidem *Armigeri*, ſiue etiam *Scutigeruli* in Caſinâ & alibi nominitantur à Plauto. Quorum omnium, quùm ne vmbram quidem ſecum è militia domum referentem (ita vti armigerum par erat) Theſprionem conſeruum ſuum videret

Epidicus

Epidicus; quærit ex eo vbinam locorum arma herilia, hoc est, & galeam, & cassidem, & clypeum, quorum quidem ipse gerulus fuerat, Stratippoclis reliquerit? At ille quàm verniliter, ac fugitiuum in morem?

Pòl illa ad hostes transfugerunt.

metaphorâ ductâ à perfugis, qui deserto Imperatore suo ad hostem perfidiosè desciscunt. Cuius pòl dicti insolentiam miratus Epidicus, erotema semel institutum deintegro resumens, petit iterari sibi narrationem illam de *Armis fugitiuis*, quasi ambigens porrò, vtrùm iocò an seriò, an verò etiam (vt fit) linguâ lapsus hoc dixerit Thesprio. Sed verba ipsa satius est apponere:

EP. *Armáne?* TH. *Atq; quidem cito.*
EP. *Seriò'ne dicis hæc tu?* TH. *Seriò inquam, hostes habent.*
EP. *Ædepol facinus improbum.* TH. *At iam ante alij fecerunt idem,*
Erit illi illa res honori. EP. *Qui?* TH. *Quia antea aliis fuit.*
Mulciber credo arma fecit, quæ habuit Stratippocles,
Transuolauerunt ad hostes, &c.

Quam lepidiſſimam inter conſeruos duos dictorum velitationem, verèque Plautinas argutias eò longius produ-cere ſum auſus; quò res omnis clarius pateſiat Lectori: ſimul, vt clariſſimo-rum virorum Camerarij ac Lambini, non dico inſcitiam (neq; enim in He-roas illos cadit hoc verbum) ſed verius errorem humanitùs admiſſum denu-dem, qui Plautum hoc loco per inco-gitantiam (vt fit) dormitaſſe, aut me-moriæ lapſu hallucinatum eſſe credi-dere, quoniam Vulcanum fabricato-rem faciat armorum Achillis, quibus Patroclo cæſo potitus eſt Hector; quum eapte diuerſa ab illis fuerint, à Vulcano non fabricata. Nam cogita-re debebant, Poëtam noſtrum in hoc etiam Comicum ſuum artificiũ con-ſultò prodidiſſe; meliuſque hâc deli-beratâ erratione τὸ πρέπον perſonæ conſeruaſſe, quàm ſi & hominem ſer-uum & Caculam, hoc eſt, calonem ſeu baiulum militarem (cuiuſmodi cluebat hic Theſprio) dicta ſua Hiſtoricâ fide obligantem & cum curâ rerum earum, quas veluti per nebulam inau-
diuerat

diuerat tantùm, veritatem persequentem in Theatrum produxisset.

Illam verò pænè Tragicam ac suprà soccum ampullantem in re creperâ Allegoriam:

Tantæ in te impendent ruinæ; nisi suffulcis firmiter,
Non potes subsistere. itaq; in te irruunt montes mali.

Fragmento cuidam Lucilliano corrigundo aduocare quid vetat? ità insignitè apud Nonium deprauato, vt (quòd in re dissimili Cicero) nec caput, nec pedes. Verba sic habent:

Tanti se temporis montes & fœdera tollent.

quæ pristinæ porrò integritati suæ ità per me restituas licet: ——*Tanti*
Se tempestatis montes ad sidera tollunt.

Quid enim? de commoto fluctibus ac procellis decumanis vehementius mari, Satyrographum loqui, Poëticus iste *Montium tumor*, palam indicium facit; subscribente insuper, firmissimeq; coniecturam hanc nostram suffulciente Ouidio in Tristibus:

Me miserũ, quanti mõtes voluuntur aquarum.
Iam iam tacturos sidera summa putes.

Iam *Tempestatem*, prò tempore interdum poni, item contrà; eamque vicissitatem tam monstrosæ deprauationi ansam præbuisse primitus, mora mera sit ostendere. Quod restat, vide ac ride, mi Lector, cuiusmodi portenta hîc nobis ac meras hariolationũ Sphynges (de *Emporiis*, ac *Sæderibus* loquor) cõmentus fuerit Mellerus.

Leue est, quod addam; & tamen tanti. Legitur eâdem Scenâ:

TH. *Abeo.* EP. *Asta, abire hinc non sinam.*

Sed mihi emendatiuncula mea potius arridet: quæ sub manu mihi, quod dicitur, nata finem imponet huic Capiti. Ea verò hæc est:

EP. *At sta: abire hinc non sinam.*

Sed taceam optimum est, cum ipso Epidico.

AD

AD EPIDICVM.

CAPVT XV.

Laudata in Plauto decori obseruatio. In amore, in potestatibus temperare. Comburere diem. *Plura alia aut emendata, aut explicata.*

SCENA II. Cheribulus, cui Strateppocles interiora consilia omnia, summamque amorum suorum arcanò edictauerat, inducitur ità Sodalem eundem suum concastigans:

Prater ætatem & virtutem stultus es Stratippocles.

De ætate planum. adolescens enim Stratippocles. *Virtutem* verò *Ætati* cur subiicit Cheribulus? Dicam; quia miles ac bellator idem ad Legionem cluebat, quippe è militiâ tum primum domum reuersus; quorum hominum propria laus virtus, id est, strennuitas ac fortitudo. Pergit inibi in captiuâ adolescentulâ, quam de prædâ commercatus fuerat, temperãtiam ac moderationem amoris sui apud sodalen

deprædicare Stratippocles, his verbis:

At pudicitiæ eius unquam nec vim, nec vitium attuli.

In quo vides quàm decori vbiq; obseruans Plautus, qui, ne incestis amationibus Comici argumenti verecundiam contaminare, ac sororem à fratre germano suo per imprudentiam corruptam inducere cogatur; amatorem modestum ac continentem facit, & qui voluptatibus temperationem adhibere, animo imperauerit suo.

In illâ verò sententiâ etiam Latinæ dictionis elegantiam admirere:

CH: *Iam istoc probior es, meo quidem animo, quum in amore temperes.*

Sic Sallustius in Oratione Marianâ:

Illis difficile est in potestatibus temperare; qui sese probos simulauere.

Neque ista phrasis silentio obruenda, quam habes hac ipsâ Scenâ:

Quia meo neque cara est cordi, neque placet.

vtiturque eâ Terentius Eunucho illis in versibus:

Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certò scio
Neque me fecisse falsi quidquam, neque meo
Cordi esse quenquam cariorem hoc Phædriâ.

Elegans

Elegans quoque mehercule phrasis illa Scenæ eiusdem:

ST. Eamus intrò ad te, vt hunc hodiè diem Lucullentè habeamus. Quid enim potius credam, quàm huc etiam in Menechmis allusum exemplo illo?

Quin hunc comburimus diem?

Elegans verò & graphica nimis, Scenâ secundâ Actus proximè sequentis, illa Epidici pallium colligentis oratio:

Age nunc iam orna te Epidice, & palliolum in collum coniice.

Eodemq; ferè pacto in Captiuis Ergasilus Hegionem maximis amœnitatibus & lætitiis oneraturus inducitur:

Nunc res certa est, eodem pacto, vt Comici serui solent,
Coniiciam in collum pallium. Vnde apparet rectè & sincerè legi in Terentij Phormione, vbi Geta hero suo boni quippiam nunciaturus ait:

Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio.

Quæ si rectè considerasset Glareanus, numquam profectò purissimum Comicum suo τῷ *Exonero* onerare instituisset. Cæterùm verbis istis:

Tum

Tum captiuorum quid ducunt secum?
puto Epidici nomen præmitti oportere eaq; coagmentanda cum sequentibus hoc modo:

—P E. *Nimis factum bene.*
E P. *Tum captiuorum quid ducunt secum?*
pueros, virgines,
Binos, ternos, alius quinque, &c.

vt quasi per admirationem seruilis narratio continuetur. Sic statim post idem Epidicus de amoribus herilis filij Stratippoclis:

Sed vestita, aurata, ornata, vt lepidè? vt concinnè? vt nouè?

Habes nullo deinceps interuallo:

P E. *Quid erat induta, an regillam induculam, an mendiculam?*
E P. *Impluuiatam, vt isthæc facimus vestimentis nomina.*
Vt in impluuium induta erat. P E. *Quid istuc mirabile est:*
Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.

Vbi primò notandum non *Isthæc*, verum *Istic* pro Hîc legendum videri, deinde *Fundos* Periphanis lepidè Epidici *Impluuio* opponi, quod Silicernius ille ita

ita se assimulat, proinde ac si Seruus suus dixisset, captiuam illam quam Stratippocles demoriebatur, *Impluuio*, hoc est, impluuij pretio indutam atque exornatam fuisse, quod argutator ille nemini mirum nec nouum, seculo præsertim suo, videri debere ostendit, quùm pleraque pars meretricum *totis etiam fundis*, hoc est, fundorum, quibus ab amatoribus damnosissimis muneratæ, pretio cultæ atque exornatæ contemnificæ ac fastidij plenæ per vias incedant. Pro illis autem:

Cumatile, aut plumatile, cerinũ, aut melinum, emendare non dubito, *Ceruinum aut melinum*, à *Ceruo* & *Mele* deriuatis vocabulis, quomodo idem posteà à Cane Laconicum detorquet. Scenâ eâdem non rectè legitur:

Reperiamus aliquid callidi conducibilis consilii;
Nam ille quidem, aut iam hic aderit credo
hercle, aut iam adest.

In priori versu rescribo, *Calidi*, ipsâ me eò quasi manu ducente sententiâ. Sic Milite: *Cedo calidum consilium cito.* & Mostellariâ: *Calidum mendacium* dixit.

AD EPIDICVM.

CAPVT XVI.

Raptor hoſtium. *Ex Epidico labecula complures deterſa.* Peratim, Follitim ductitare, *quomodo interpretanda; inibiq́ quàm fruſtrà fuerit Lambinus, demonſtratum.*

LEPIDE ibidem Militares gloriæ; quibus hoc genus pugnis memorandis ſuis hominũ aures, ſemel quum occœperint, eradicare amant; exprimuntur: ea tribuentes ſibi, quæ facilius dictis dici, quàm factis expatrari poſſunt. in quibus illud omnium inaniſſimum:

Auro opulentus, magnus miles Rhodius, raptor hoſtium.

Prò Harpace mero; & qui hoſtes viuos ex acie rapere condidicerit ſolens; ita vti à Poëtâ ipſo hoc nomen Pſeudolo explicatum videmus. Quid enim vanius, aut ventoſius, quàm homines armatos, contrà conſertâ manu, raptare; atq; in ſublime iacere, itidem quaſi pilas ſago excuſſas.

Emen-

Emendemus porrò illud Scenæ consequentis:

Sed me vna turbat res ratióque, Apœcidi,
Quâ ostendam fidicinā aliquam conducticiam.

Ità enim legi placet haud paullò impensius, quàm quod vniuersa exemplaria vsque adhuc occupauit atque obsedit: *Quam ostendam.* Quod quid nam esse dicam, nescio. Ità me quoque non minus, quàm Epidicum, vna turbat res ratioque, quâ me ex tricosâ ista lectione extricem. quod quidem (vt meus est animus) aliâ ratiōe haud posse arbitror. Quid enim opus est, *Aliquam,* si *quam* istud retinendum putemus?

Habes exinde Scenâ 1. Actûs tertij:

Quid illum ferre vis? qui, tibi, cui diuitiæ domi maxumæ
Sunt, is nummum nullum habes, nec sodali tuo in te copia est.

Sed puto efficaciore ἐνεργείᾳ rescriptum iri ad hunc modum:

Is nummum nullū habes, &c.

Sequitur Scenā deincipe:

Per hanc curam quietò tibi licet esse,

confine priori illi:

Per illam tibi copiam.

Copiam parare aliam licet.

Lubet verò indidem Epidici iocationes multò lepidissimas in commune proponere.

EP. *Quia ego tuum patrem faciam perenticidam.*

ST. *Quid istuc est verbi?* EP. *Nihil moror vetera & vulgata verba.*

Peratim ductitate, at ego follitim ductitabo.

Ità enim Editiones, quantum quidem vsque adhuc typis publicatum. cæterum ego mallem: *Peràtim ductitare,* vt significauerit Epidicus, nihil curare se vulgò vsitata

Dicendi genera, aut protrita vocabula rerum.

in quibus est illud, quod serui non nauci protenus Triumphum se commeruisse, vel saltem ouatione dignos deputant, si fortè herum suum *peratim*, id est, perpauxilli argenti modo, & quantilli *peræ* vnius laxitas sit capax, defrudauerint atque interuorterint. Etenim sic, *Ductitare*, exponere collibitum est mihi; quasi tu dicas, *Argento Circumducere*: suspicorque omnem sententiæ istiusce argutiolam in duobus Aduerbiis illis, *Peratim & Follitim*, hoc est, in modi, siue

mensuræ

mensuræ eius differentiâ, quanta inter *Peram & Follem* est, consistere. Nota enim amplitudo siue laxitas *Follis*, præ *Peræ* exiguitate atque angustiis. Lambini commentationes non moror, qui ad supplicia parricidarum allusum hallucinatur, quos in *Peram* (quam ille itidem quasi *culleum* interpretatur) insutos, in profundum abiectari potius, *quàm in pergulam deportari*, moris fuisse condidicimus.

Scenâ: *Non oris.* sub finem:

Suam qui vndantem chlamydẽ quassandó facit. id est, fluctuantem agitando. quibus verbis habitum incessumque gloriosi nimis pol graphicè ac Comœdicè expressum videmus: ab Afranio item adumbratum in Pompâ huiusmodi exemplo:

Tene tu; in medio nemo est: magnificè volo fluctuatim ire ad illum. accipe hoc tegmen tu & sustine. vbi *Fluctuatim*, prò iactanter & solutè sumptum exponitur à Nonio, examussim rectissimè.

In illâ verò Militis & Periphanis colloquutione Scenâ IV. Actûs eiusdem:

MI. *Volo te verbis pauculis,*

Si tibi molestū non est. PE. *Non ædepol scio:*
Molestum non est mihi, si dicis, quid velis.

postremum istuc Plautino sali parum ædepol mihi respondere videtur. Proinde emendare non dubitem:

Molestum non est mihi, si dicis quod velim.

vt sit sensus: Haud ædepol scio, vtrum auribus meis odiosa alloquutio tua euentura siet, nec ne. Neque enim Oedipus cluo, vt prædiuinare possim, quid sis dicturus. hoc probè scio, molestam mihi non fore interpellationem hanc tuam, si quod mihi lubentiæ ac voluptati fuerit, edissertaueris. ad exemplum opinor eius, quod in Aulularia respondet Euclio, hocce modo interrogatus abs Megadoro:

Quæso quod te percōtabor, ne id te pigeat proloqui
EV. *Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat loqui.*

Dixerat paullò ante Militem iactabundum militaris inaniloquentiæ hostimento retundens Periphanes:

Imò si audias
Meas pugnas, fugias manibus demissis domū.

Sic enim legendum, non *Dimissis* (vti est apud Lambinum) neque sententia nobis

nobis, neque Camerarij mentitur Editio. More enim fieri videmus, vt qui loci desertores ac fugitiuos, per summam ignauiam nimiamq; animi mollitudinem, imitantur; manus clypeo, reliquisq; telis stratioticis temere proiectis, exoneratas demittant, quo ad cursuram, quam instituere, expeditiores existant scilicet.

AD EPIDICVM.

CAPVT XVII.

Plauto de Seriarum possessione *iniustissimè deturbato* Vindiciæ datæ. *A Lambino item leniter ac leuiter dissensum.*

VIDEAMVS, an & ille locus instaurari queat hoc modo:

Sexaginta mihi si denumerantur minæ,
Tuas poßidebit mulier faxo ferias:

pro lectione receptâ, quamq; adeò interpretes vniuersi vno ore quasi mordicus tueri videntur: *Ferias.* Quod quid sit, necdum mihi hercule in mentem venire potuit. At nostrum illud (*Serias*

inquio) pro vasis vsurpatum accipio, æs aut argentum aut aliquid simile continentibus, quas Periphanes Militi pollicetur fore, vt fidicina sua (quam Acropolistidem, ab Epidico inductus, esse falsò persuasum habebat sibi) amica eius possideat, si sexaginta sibi denumerentur minæ, non in diem dico, sed verò in manum, & quidem oculatam, hoc est, præsentariæ, & fide Græcâ. Nam qui puellæ alicuius amore seriò est irretitus, eius verò hominis *Seriæ*, hoc est, Thesauri omnes ad eopse illos amores suos vnà cum animo quasi perfugæ deserto domino facti, in aliena iura transmigrasse videntur. *Possidebit serias* nihil ergo aliud fuerit, quàm *Seriarum*, id est vniuersæ pecuniæ tuæ in serias conditæ possestrix futura est. Quò etiam facit Persianum illud: ——O si

Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule. Atque id ipsum sequentia insuper *de agro capte, haud secus ac seriâ aliquâ, exonerando*, disertissimè confirmant. Quid enim aliud vult sibi adpensa conditio illa adiectanea?

Atqua

Atque ita profectò, vt eam (ſubaudi, *Seriam*) *ex hoc exoneres agro.* Niſi ſi quis *Obſidebit*, prò *Poßidebit* legi mauelit: & *Serias* iſtas, fictilia, in quibus carnes muriâ conditæ (quo & nos more vtimur hodie) ad vſus diuturnitatem adſeruabantur, aut *vaſa* etiam *vinaria* interpretari; vt intelligat Periphanes: Faxo fidicina iſta, quam concilio tibi, obſideat ſiue etiam poſſideat ſerias tuas, cellas penumq́; potius militarẽ quàm penem deſignans, hoc eſt, faxo de tuo, non de meo deinceps cænitet, ſerias tuas hercle vero ſeriò, id eſt, focum ipſius tuum, quantùm & quamdiu voles, tuo potius arbitratu, quàm meo in perpetuũ porrò obſeſſura: vbi Cõtentũ pro continente poſitũ obſeruabis. Habes eâdem Scenâ:

Flagitio cum maiore pòſt reddes tamen.

Flagitio, id eſt efflagitatione, conuicio, ſeu pipulo potius & quidem muliebri; non dedecore, vt vult Monſtrolienſis noſter.

Sequitur deinceps abrupta ſufflati ſenis per eilipſim oratio:

Eámne ego ſinam impunè?

Vbi Lambinus de ſententiâ Camerarij, *Iniuriam* ſubaudiendam exiſtimat. Ego *Pecuniam* malo, quâ marſupium herile exenteratum ab Epidico ex argumento didicimus iam prius.

AD EPIDICVM.

CAPVT XVIII.

Miſer ex animo. Miſerari ſe ac paruos liberos. *Dictorum aliquot explicatio.*

SCENA I. Actûs quarti, in quam Mulier illa cum Philippæ nomine à Periphane iam olim in Epidauro cõpreſſa, primum producitur, ab hac pol muliebri querimoniâ initium ſumit:

Si quid eſt homini miſeriarum, quod miſereſcat, miſer ex animo eſt.
Id ego experior.

Quod miſereſcat, id eſt, propter quod miſer fiat. atque itâ Lambinus, qui etiam ſubſtantiuum illud *Eſt* delédum cenſet, vt ſententiam corrumpens. Vtrumq; rectè meâ quidem ſententiâ. Sed mihi potius *Miſera* emendari placet, in-

cet, inducto commate post τὸ *Animo*, distinguique hoc modo:

Si quid est homini miseriarum, quod miserescat, misera ex animo
Id ego experior.

Nisi tamen per caussam antiquitatis τὸ *Miser* communis generis esse dicamus, ac vtriq; sexui aptari posse existimemus, quomodo *Pauper fœmina* etiamnum pace Grammaticorum, prò *Paupera* vsurpamus: exemplo Virgilij, apud quem *Pauper domus*, item Plauti nostri, in quo *Pauperes res* videmus exaratum. adde Ouidij denique ex Arte:

Cur nemo est Hecalen, nulla est quæ ceperit
Irum?
Nempe quòd alter egens, altera pauper erat.

Iam *Misera ex animo* phrasis eidem Comico nostro vsitata haud semel, vt Sticho:

Credo ego miseram fuisse Penelopam,
Soror, suo ex animo, &c.

Sed & Lucretius:

Qui miser ex animo est, lætatur corpore toto.

Id est, quod nos vulgo dictitamus: wt ganscher harten benaut.

Sequitur Periphanis hallucinantis

ante congreſſum anceps dubitatio in hæc verba:

Quis illæc eſt mulier, timido Pectore, peregrè aduenienꝭ, quæ ipſa ſe miſeratur?

Miſeratur, id eſt, miſeram ſe miſerè ac dolenter prædicat, ſiue lamentatur. Loquendi ratio vetuſtioris notæ ſcriptoribus celebratiſſima; vti & Salluſtio in Catilina: *Miſerari paruos liberos.*

Actus V. Scenâ I.

S T. *Habe bonum animum*

E P. *Quippe ego cui libertas in mundo ſita eſt.*

Quaſi ſi diceret: Quippini ego, ſeu: Quidni ego bonum animum habeam, cui libertas parata eſt domi? Ironia ſeruilis.

Vbi porrò legimus: E P *Hæccine eſt?*
S T. *Hæc eſt, eſt'ne vt tibi dixi? aſpecta.*
E P. *Hæc*

Non placet poſtremum *Hæc* iſtud ex Epidici perſona pronunciatum, atque eius vicem *Hei* ſubſtituo, ipsâ ſententiâ, manu quaſi in viam deductus.

Illud verò quidnam eſſe dictitem, quod ibidem quærit Epidicus?

Satin' ego oculis vtilitatē obtineo ſincerè an parū?

Quid?

Quid? nisi quod alibi passim eodem intellectu simplicissimè vsurpatur à Comico? *Satin' rectè oculis vtor?* id est, Satísne clarè oculis prospicio, an secus?

AD EPIDICVM.

CAPVT XIX.

Pluria in Epidico aut correcta aut enodata.

HABES eâdem Scenâ magnum veriuerbij argumentum in probatione illâ Epidici:

Non habeo vllam occasionem, vt apud te falsa fabuler.

Simile illi quod legimus in Mostellariâ: *Quid mihi sit boni, si mentiar?* id est, quid mihi profuerit mentiri; & quod idem planius alibi:

Quid meream, quamobrem mentiar?

Cuius sententiæ acumen imitatus item Ouidius, quum canit:

Hæc mihi nō vani (nec erat cur fallere vellent)
Narrauere senes. Item III. Tristium:
Vix equidē credar; sed quum sint præmia falsi
Nulla, ratam debet testis habere fidem.

Adde à Tacito ex IV. Histor. libro: *Vtrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.*

Illud verò correctionis egere videtur in verbis eiusdem Epidici:

Sed memento, si quid sæuiunt senes,
Suppetias mihi cum sorore ferre.

Legendum enim proculdubiò *Sæuibunt*, vel certè, *Sæuiant*.

Illud autem festiuum nimis condignumque hercle seruili peruicaciâ:

Non fugio, domi adesse certum est; neque illi haud obiiciet mihi
Pedibus sese prouocatum.

nimirum ad cursuram, seu currendi certamen. Qui enim in decursione prior est, seque cursu insequentem anteuertit, is modò non lacessere, & quasi prouocare, ne dicam, tarditatem aduersario, hoc est, concursori suo exprobrare videtur.

Scenâ nouissimâ scitum illud dicendi genus:

AP. *Dum sine me quæras, quæras meâ caussâ vel medio in mari.*

Cui prorsus affine illud è Truculéto:

S T. *Si planè ex medio mari*
Sauium

Sanium petere tuum iubeas, petere haud pigeat me.

Eâdem quoque illud emaculare pergamus: A P. *Quid colligas?* reſcribendo, E P. *Quin colligas?* vt ſint verba Epidici, non Apœcidis, herum videlicet increpantis, quia ſe ſic ſolutum adſtare ſinat, quùm ipſus vinciendum vltrò ſe præbeat. Quæ ſequuntur autē ex perſonâ Periphanis:

P E. *AEdepol mancipium ſceleſtum*

iis verò nos Apœcidis nomen præmittendum cenſemus. Neq; obſtat huicce coniecturæ noſtræ, quod protenus ſubiungitur ab Epidico:

E P. *Te profectò, Apœcides,*
Nihil moror mihi precatorem.

Hoc enim à tenebrione ſeruilis confidentiæ pleniſſimò, nimiſque adeò viliſſimi capituli ac vitæ ſuæ profusè prodigo *εἰρωνικῶς* prolatum ſuſpicari lubet. Notanda ibidem & iunioribus phraſis illa raritatis cauſsâ:

P E. *Dedin' tibi minas triginta ob filiam?*

id eſt, pro filiâ. Quâ idem anteà vſus etiam Aſinaria:

Ait ſe ob aſinos ferre argentū atrienſi Saureæ.

hoc

hoc eſt, prò aſinis mercatis ac præſtinatis pretio. eandem quoque iteratam reperias in Fragmento quodam, quod citat Gellius ex Oratione C. Sempronij Gracchi, *quâ Legem Aufeiam diſſuaſit*; cuius poſtremam partem, quæ huc facit maximè, tum ob Latini ſermonis elegantiam, tum vt melius alterum ex altero intelligatur, viſum eſt Lectori fuſius ob oculos proponere:

Noct. Attic. lib. xi. cap. x.

Legationes autem à Regibus, cùm putant eos ſuâ cauſsâ reticere, ſumptus atq; pecunias maximas præbent, vti in terrâ Græciâ, quo in tempore Tragœdus gloriæ ſibi ducebat, talentum magnum ob vnam fabulam datum eſſe; homo eloquentiſsimus ciuitatis ſuæ Demades ei reſpondiſſe dicitur: Mirum tibi videtur, ſi tu loquendo talentum quæſiſti? Ego, vt tacerem, decem talenta à Rege accepi. Itidem nunc iſti pretia maxima ob tacendum accipiunt.

AD

AD BACCHIDES.

CAPVT XX.

Locorum Plautinorum, vnius, alterius, consideratio. Intellectibus obscœnis velamentum verecundè quæsitum, in verbis Turturis, *ac* Scaphij, *à Comico; præter opinionem cum Lambini, tum etiam Turnebi.*

INITIO Bacchidum, duârum Meretricum cognominum consultatio proponitur, deliberantium inter se, quibus nam verbis, atque vtra potissimum orationem impetrabilem sibi apud Pistoclerum exordiatur. Principium sic habet:

Quid si hoc potius est, vt taceas, ego loquar?
B A. *Lepide licet.*

scilicet: tacere mihi, vt quidem interpretatur Lambinus. Ego tamen (pace industriosissimi viri quod fiat) distinctim enarrare mauelim, hâc videlicet interpunctione: B A. *Lepidè: licet.* vt sit assentientis responsio. Notum enim, ecquid rei *Licet* istud, cum apud hunc

hunc ipsum, tum Terentium designet. Nisi si cui altera impensius arriserit lectio, quam aliâs ego ex membranaceo Charisij codice me eruisse commemini, ad hanc faciem.

Quid si hoc potius est, vt taceas, ego loquar lepidè? BA. *Licet.*

Scitatur haud multò post easdem compellitans Pistoclerus:

Quid in consilio consuluistis?

Quarum alteram e vestigio respondentem: *Benè pòl:* redarguit huiusmodi argutiunculâ adolescés ille damnosus.

PI. *Haud meretritium est.*

Quo loco obseruabis, *Meretricium*, pro *Meretricum* positum videri, genitiuo antiquitus vsurpato; eâdem nimirum ratione, quâ & *Ciuitatium*, & *Hominium* dicebant. Sic Casinâ:

CL. *Non matronarum est officium, sed meretricium.*

vt quidem eum locum princeps restituit Lipsius noster.

Perlepidè pòl ibidem disciplinæ, quæ in lustris liberis, hoc est, ædibus meretriciis colitur, incommoditates damnosissimæq; inlecebræ, à quibus se metuere

tuere inprimis caussatur Pistoclerus, ordine percensentur à Comico: vnde, quantum *Lenonio*, imò *Leonino cauo*, hoc est, latebroso loco, viscatissimisquè illis prostibularum desidiabulis palestra atque hippodromus discrepat, Iuuentus nostra, sicuti in speculo clarè perspicere possit. Quid enim his pugnantius?

P I. *Quid ego metuam rogitas? homo adolescentulus*
Penetrare huiusmodi in palestram, vbi damnis desudascitur:
Vbi pro disco damnum capiam, pro cursurâ dedecus?
B A. *Lepidè memoras.* P I. *Vbi ego capiam pro macharâ turturem,*
Vbiq; imponat alius mihi pro cœsto cantharũ,
Pro galeâ scaphium, pro insigni sit corolla plectilis,
Pro hasta talus, pro loricâ malacum capiam pallium,
Vbi mihi pro equo lectus detur, scortum pro scuto accubet.

Eadem ferè exercitationum, ludorumque ac gymnasticorum certaminum nomina infrà recenset eiusdem Pædagogus Lydus. Sic enim ibi:

Ibi

Ibi (scilicet: in palæstra) *cursu, luctando,*
hastâ, disco, pugilatu, pilâ,
Saliendo sese exercebant magis, quàm scorto
aut suauiis.

Item planius aliquantò & copiosius in Mostellariâ Philolaches de semet, & ipse adolescens, moribusque immutatis huic Pistoclero compar:

Quo neque industrior de iuuentute erat
Arte gymnasticâ, disco, hastis, pilâ,
Cursu, armis, equo, &c.

Quorum duorum testimoniorũ collatio incredibile est memoratu, quantum ad huiusdem loci illustrationem conducat. In cuius explicatione quàm frustrà fuerit Lambinus, vel hinc coniecturam facias licebit. Scribit enim in Commentariis Plautinis, pueris & adolescentibus delicatis auiculas omnis generis dari solitas, quîcum lusitarent, & quibus se oblectarent: eoque referendum illud de *Turture*: falsò, nec Eroticè satis. Ego sanè mollius quiddam cogito, credoq; Turturem istum Plautinũ (quem prò machærâ in manus capiundum sibi argutè quidem, sed nequiter satis & lasciuè argutatur

adolescens

adoleſcens, quouis turture ſalacior) prorſus concolorem eſſe *Paſſeri* illi non paſſeri, cuius funeri illachrymantem ac tantum non leſſum lamentando facientem Lesbiam ſuam inducit doctiſſimus Catullus. Iam de *Scaphio* quæ bonus ille Commentator, quem dico, Turnebi ſententiæ accedens ſubiungit, vereor vt ſatis Plautinæ concinnitati reſpondeant. Nam quanti obſecro ſunt iſta? *Poculum intelligi oblongioris figuræ, laterumq́; in ſchaphæ modum flexorum: habens videlicet neſcio quam cum galeâ ſimilitudinem, vt pro eâ ipsâ indui poſſe videatur.* At ego eiuſmodi tautologiam à Plautino Atticiſmo longè ſpernendam cenſeo. Neque enim veriſimile videtur, alterum vinarij poculi genus Poëtâ hunc noſtrum Cantharo vicarium aut ſuccidaneum vnquam facere cogitaſſe. Ego itaque cauſſam eſſe haud puto, quò minus aliud ab eo, & quidem longè diuerſiſſimum intelligamus, purà vas illud, cui ſolent immeiere mulieres. Quo ſignificatu etiam à Iuuenali acceptum, hanc ipſam vt videtur ſententiam à Plautinis facetiis mutuato.

Sic enim ille:

Et ride, positis scaphium cum sumitur armis.

Sed & Martialis noster Epigr. lib. XI.

Te potare decet gemmâ, qui Mentora frangis
In scaphium mœchæ, Sardanapale, tuæ.

AD BACCHIDES.

CAPVT XXI.

LYDI barbari. *Literæ vnius adiectione desideratæ argutiæ vis Plauto in Bacchidibus lepidissimè redintegrata, παρὰ προσδοκίαν. Alia quædam.*

AD Scenam porrò proximã transuolemus, illud Pistocleri aliquandò excussuri, Lydum Pædagogũ suum iuueniliter coarguentis:

An non putasti esse vnquam? ô Lyde es barbarus.

Alludere videtur ad prouerbium: *Lydi barbari:* quo idem vsus supra Curculione:

Fite mea caussa Lydi barbari.

Et mirum, ni eodem etiam ab Ausonio allusum:

Barbarus est Lydus, fallax Geta, &c.

vt etiam

vt etiam in Getæ nomine, quem & versipellem & fraudulentum in Scenam induxerat Menander, teste Ouidio. Erit ergo festiuitas omnis in amphiboliâ vocabulorum posita, & gentis vtriusque & hominum seruitutem seruientium significantiam complectente. Habes ibidem:

Tace atque sequere Lyde me. LY. *illuc sis vide;*
Non pædagogum iam me, sed Lydum vocat.

Vnde apparet priscos illos commune hoc etiam, præter cætera, moribus nostris habuisse, vt dignitatis potius & honoris titulo, quàm nominibus propriis cieri ac cõpellari præoptarẽt sese. Neq; illa phrasis animaduersione indigna videri debet, quippe perantiqua & optimo cuique antiquorũ vsurpata:

O Barathrum, vbi tu es? vt ego te vsurpem lubens?

Vtitur eâdem compluries Lucretius, nec parcius hic noster, vel Trinummo:

Quæ loca ego neque oculis, neque pedibus vnquam vsurpaui meis.

Properemus ad Scenam secundam Actûs proximi:

PI. *Egon' ut, quod ab illo attulisset nuncius,*
Non impetratum id aduenienti ei redderem?
Regiones colere mauellem Acheru nticas.

Argutius, magiſque præter exſpectationem fuerit, ſi *Coleres* legatur. neque indecora ſententiæ herilis in ſuo ſibi ſeruo fruſtratio.

Habes deinceps Scenâ ſequente:

Extexam ego illũ pulchrè iam, ſi Dî volunt.

id eſt, cum Dîs volentibus adiuuantibuſque. Sic & Catullus:

Paucis, ſi tibi Dî fauent, diebus.

Sequitur ibidem:

Tun' hoſpitem illum nominas, hoſtem tuum?

Elegans παρονομασία, quam & Naſo ex Helenes perſonâ æmulatus in Heroidibus ſuis:

Qui ſic intrabas, hoſpes, an hoſtis eras?

item Faſtor. II.

Hoſtis, ut hoſpes, init penetralia Collatini.

AD BACCHIDES.

CAPVT XXII.

Sententiarum Lambini, altera comprobata, altera cum repudio dimissa. Accensebatur *inibi, pro* Accersebatur *repositum:* Attigas *item pro* Attingas. *Additum quiddam de* Lucernis vncto expretis linteo.

ACTVS porrò tertij Scenâ III. discipulum suum Lydus ex adolescente optimo corruptũ seriò ac seuerè ingemiscens, acriterque & asperè satis pro rei indignitate apud Philoxenum patrem expostulans inducitur hâc verborum tristitiâ:

Nunc experiar, sit'ne aceto tibi cor acre in pectore.

Sic enim de Lambini sententiâ legendum, contra Camerariæ Editionis præiudicatam auctoritatem, *Acetum* præferentis: & verò allegoriam istam hoc modo construendam iudico:

Sitne in pectore tibi cor acre aceto

id est, senilis ac maturi iudicij acrimo-

 niâ,

niâ, iuſtâque in rebus inhoneſtis ac flagitioſis indignatione. vt *Aceto* auferendi caſu poſitum accipiatur. quod ne Lambinus quidem attendiſſe videtur ſatis, quamuis idem haud inſcitè hunc locum interpretatus fuerit, hoc modo: *Sitne animus tibi, qui offendatur rebus malis & turpibus.* Eodem quoque accommodare poſſis illos Burdigalenſis Poëtæ verſus, quos ad hoc exemplum caſtigatos producit Scaliger:

Scillito decies ſi cor purgeris aceto,
Anticipeſq; tuum Samij Lucumonis acumen.

Meo quidem iudicio parum ſanè ſartèque. Scin quid ſuſpicer? Secundo in verſu, *Tuo*, potius, quàm, *Tuum*, ſcripſiſſe Auſonium. Vt ſit ſenſus: Si ingenij tui acrimoniâ ſiue acumine ipſius Samij Lucumonis acumen ſuperes. Id enim, *Anticipes*, eſt; quod interpres aduertiſſe videtur minus. Errorem ex notâ ſcribendi conſuetudine natum ſcilicet; eorum dico, qui compendium ſcripturæ facere properantes, M. nunquam, aut rarò admodum exprimebant, ſed eam ſuperinductâ priori vocali lineâ deſignabant, quemadmodum

& hodie

& hodie vulgus abbreuiatorum facere consueuit.

Castigat ibidem Philoxenum Lydus, pro corruptissimo adolescente caussam dicentem, ob nimiam eius lenitatem, hoc est, paternam ergà filium indulgentiam hac conquestione vtens:

LY. *Hei mihi, hei mihi; istæc illum perdidit assentatio.*

Rectè. at Lambinus libris omnibus inuitis, ac spretâ Trochaicorum lege, *Assensio*, legendum putabat, non rectè. Quid enim? an non magnus quoque ille Romanarum elegantiarum Arbiter assentationem suam in nostram sententiam flectit, eodem planè significatu hoc ipsum vocabulum vsurpans in priore parte festiuissimi illius Satyrici sui?

Tacentibus adhuc nobis, & ad neutram partem assentationem flectentibus, &c.

id est, assensum commodantibus & quasi agentibus secundas. Puto ibidem rescribendum:

Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum accensebatur malum.

pro *Accersebatur*, siúe etiam *Arcessebatur*.

Nec minus illud diminutione vnius literæ antiquitati suæ restituendum hoc modo:

At nunc priusquam septuennis est, si attigas eum manu.

ἀντὶ τ. *Attingas.* Quippe alterum illud priscæ ac Plautinæ monetæ, hoc contrà nuperæ, ac nouitiæ fortasse.

Sequitur haud longè:

It magister, quasi lucerna, vncto expretus linteo.

Vnde coniecturam est facere, moris antiquitus fuisse vncto linteo emungendi, vel (quod verisimilius videtur) exstinguendi lucernas potius. cuius vicem ferreis emunctoriis vti, nobis hodie solenne.

AD BACCHIDES.

CAPVT XXIII.

Scripturæ à Lambino proscriptæ restitutio. Ioci *ac* Nugarum *titulo*, Præficarum Nænias *venire solitas*. Linguâ factiosi. *Vitiosi membri curatio. Iterum castigatus Lambinus.*

EIVSDEM Actûs quartæ Scenæ initio non placet correctio illâ Gallicani Interpretis, *Immitiorem*, siue adeò *Inimiciorem* reponentis, vbi hodie planè ac probè procusum exstat:

Amiciorem nunc vtrùm credam magis
Sodalémne esse, an Bacchidem, incertum admodum est.

Mihi enim solidum ac stabile est receptam hercle lectionē retinere, quippe hoc omnē non seriò, sed verò εἰρωνικῶς ab adolescente incogitante atque animi perciti prolatum accipienti.

Ait ibidem inopiam argentariam Bacchidi suæ per iracundiam minitans Mnesilochus:

Decretum est renumerare iam omne aurum patri,

Igitur mihi inani atque inopi subblandibitur,
Tum, cum meà illud nihilò pluris referet,
Quàm si ad sepulchrum mortuo dicat iocum.

Vbi primò obseruandum, *Igitur*, pro *Deinde* seu *Postea* positum esse. Sed hoc plumeâ ramentâ leuius, illud autem (præfiscinè hoc dictū velim) vel *plumbea propensius*, ipsi (sicuti res docet) Lambino ignorabile obiectum, nouissimi Senarij sentētiam dico, quam ego non simpliciter, neque pertractatè adeò, vel proletarium in morem, sed verò ex veteris illius ac reconditæ doctrinæ penetralibus eruendam autumo: atque ad carmina illa sublesta, cassa, inepta, plenaque adeò anilium inaniarum, quæ in laudes defunctorum à Præficis, ad plorandum lessumque funeris ergo faciundum conductis, muliebri eiulatione ac planctu occentabantur. quod genus Næniarum nomine antiquitus, sed & *Nugarum* consimili prorsus ratione nuncupabantur, sicuti Asinariâ:

Hæc sunt non nugæ, non enim mortualia.

Vide quæ IIX. libri prioris Capite in Asinariam supra à nobis fusius declarata.

clarata. Elegans verò, & quæ nobis oraculi vicem esse possit, sententia illa Pistocleri falsò super amicâ suspecti habiti à Mnesilocho:

Multi more isto atque exemplo viuunt, quos quòm censeas
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,
Linguâ factiosi, inertes operâ, sublestâ fide.
Nullus est, qui non inuideat rem secundam obtingere.
Sibi ne inuideatur, ipsi ignaui rectè cauent.

Sed enim res ipsa efflagitare videtur, vt quartus versus rescribatur atq; emaculetur hoc modo:

Nullus est, quôi non inuideant rem secundam obtingere.

Factiosi autem *lingua*, dicuntur largiloqui ac dites dapsilium dictorum, hoc est, ad promittendum promi potius quàm condi, ad largiendum non item. *Factiosi* enim pro opulentis seu potentibus habiti acceptique ab antiquis.

Versus verò ille perperam expositus Lambino:

An nesciebas, quàm einsmodi homini raro tempus se daret?

qui τὸ *Einsmodi*, cum dictione *Homini* cõstruendum autumat, patremque Mnesilochi intelligi. Mihi verò ad *Tempus*

Prono-

Pronomen iſtud pertinere potius ſit veriſimile, conſtructione inſtitutâ ad hoc exemplum:

An neſciebas, quàm raro eiuſmodi tempus, id eſt, occaſio, ſcilicet argenti quantum velles domo ac de paternâ arcâ ſumendi, non aliunde quærundi, daret offerretque ſe tibi? veriſſimâ admonitione, & proinde ac ſi diceret: An ignorabas *fronte capillatam*, occipitio autem caluam ac defloccatam cluere Occaſionem?

AD BACCHIDES.

CAPVT XXIV.

De Cerâ & Lino, tum ceratis veterum Tabellis, easdemque ſtylo inarandi obſignandique ratione, *accurata Conlectanea. Ei rei fax à Tranquillo prælata. Locus vnus, alter, leuiter interpolatus.* Pulcrè hæc confertur ratis, *noui interpretamenti luce inluſtratum.* Prædicare. præciæ. *Apuleius emaculatus.*

SCENA. *Hunc hominem.* Chryſalus infortunij balliſtam intenſurus in Nico-

Nicobulum, quoniam ſibi omnia, quæ ad miſerrimum illum Mneſilochi patrem auro emungendum vſus eſſent, (putà *Stilum, ceram, cum Tabellis ac lino*) intus efferre imperaſſet Piſtoclero, ad Mneſilochum conuorſus, eum & Tabellas & Stilum properè in manus ſumere iubet hâc baſilicâ editione:

Cape ſtilum properè, & Tabellas tu has tibi.

Etenim duabus his rebus opus erat literas conſcripturo Mneſilocho, haud minus, quàm cerâ & lino ad eaſdem porrò obligandas, deinde etiam annulo obſignandas, obſignatiſq; ex more imprimundum herile ſignum: id quod facturus poſteâ, eidem poſt ſcriptionem factam imperans:

Cedo tu ceram ac linum actutum, age obliga, obſigna citò.

Vnde rectè legi quoque apparet in Pſeudolo:

Per ceram, & linum, literaſq; interpretes.

contra opinionem eorum hominum, qui *Lignum*, pro *Lino* ſupponere nobis veriti non ſunt. Clarius tamen ex loco ſuperiore huiuſdem Scenæ, cuius memineramus modò; vbi legitur.

PI. Quid

PI. *Quid?* CH. *Stilum, ceram, & Tabellas & Linum.*

Vbi curiosè etiam notandum, per *Ceram*, non intelligi *Tabulas*, quæ ex cerâ & ligno pariter compactæ constabant: verùm eam ceram potius, quâ, more non nimium ab hodiernâ ac nostrâ consuetudine abludente, Tabellas suas conscriptas obsignabant veteres. id quod perspicuè planum ex hâc ipsâ quã posui auctoritate. Sequitur enim: *Obsigna citò.* in quem vsum & Ceram popoſcerat sibi, ad easdem videlicet pariter cum lino obligandas. Et verò huc etiam pertinet Suetonianum illud in Nerone:

Aduersus falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina traiecto obsignarentur.

Fuit tamen tempus, quum *Licium* in Plauto rescribillandũ censerem; mendosè. Quid? quod Ouidius, *Linum ac Ceram* Dædaleis alis intexuit, II. de Arte aiens:

Remigium volucrum disponit in ordine ceras,
Et leue per lini vincula nectit opus.

Quod autẽ prius dixerat Mnesilochus:

Ne inter-

Ne interturba, iam imperatum in cerâ inest.

Ea vero *Cera*, longè diuersa est ab illâ, quâ de egimus modò. Nam de *Tabellis ceratis* loquitur, in quas se, id quod Chrysalus verbis præiuerat, iam retulisse stiloque exarasse prædicat, *Salutem patri suo* scilicet. Rectissimè porrò Plautus ad literas faciundas res quatuor simul dinumerauit anteà, *stilum*, nempe, *Ceram*, & *Tabellas*, & *Linum*, ex his enim pariter in vnum coniunctis huiusmodi materiam constare necessum fuit. Plura de his ac compertiora nosse qui volet, Lambini Commentarios adeat; cætera huc facientia cum fide & curâ industriosissimè ac singillatim persequuti.

Illis verò Scenæ insequentis, vbi ironicâ concessione Nicobulum perterrefacit Chrysalus:

Ego sum sacer, scelestus: specta rem modò:
Ego verbum faciam.

haud satis equidem percipio quid velit, nisi negatio inseratur hoc modo:

Ego verbum non faciam.

vt videlicet & numerorum & sententiæ ratio habeatur, ea verò ex responso

Nicobuli

Nicobuli haud obſcurè paret, indignanter ac ſtomachosè ſciſcitantis:

*Etiámne carnifex
Minitare?*

Iam *Rem* & *Verbum* relatiua eſſe quis neſcit? Sequitur ibidem:

Bene nauis agitatur, pulchrè hæc cōfertur ratis.

In cuius poſtremæ allegoriæ explicatione hallucinatus videtur Lambinus, qui *Confertur* pro impellitur, ſeu appellitur ad portum ſcilicet, interpretatur. nec benè nec pulchrè. Enim ad ratium compagines & coagmenta ex conlatorum ſchediorum congerie in vnum colligata referundum autumo, vt *bene conlata ratis* intelligatur, cuius partes omnes rectè & ordine ſtatuminibus, tabulatis, ac pluteis ſuis commiſſæ ac ferruminatæ. Facit huc Ennianũ illud:

Collatâ pulchrè rate, inæratâq; peritè.

Proximâ Scenâ, vbi non ſine ſtomacho Chryſalũ interrogat Nicobulus:

*Eo tu loquitatúſne es gnato meo malè
Per ſermonem, quia mihi id aurum reddidit?*

Mihi in mentem potius venit legere:

Eho, tu loquitatúſne es gnato, &c.

Eâdem Scenâ, cum ait:

Atque

Atq; in eo ipso astas lapide, ubi præco prædicat.

Proprio & peculiari ei rei verbo vsus est. *Prædicare* enim est, quod nos **wtroepen/** diceremus. Vtiturque eâ voce & Apuleius lib. XI. Metamorph. cuius verba Plautini loci occasione, eâdemque, vt insigne mendum eluamus, non pigebit adscribere: *Ibant & dicati magno Serapi tibicines, qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextram, familiarem templi modulum frequentabant: & plerique, qui facilem sacris viam dari prædicarent.* Sed enim antiquum verbum, *Præciæ* inquam, huc reuocandum censeo, hunc in modum: *Et præciæ* (vel omissâ & particulâ, *Præciæq;*) *qui facilem sacris viam dari prædicarent.* *Præciæ* enim, autore Festo, (vt quidem princeps eum locum restituit Scaliger) *metatores dicuntur, qui flaminibus Diali, Quirinali, Martiali antecedentes clamant feriis publicis, vt homines abstineant se opere, quia his opus facientem videre religiosum est.* Cui suffragatur & locus Pauli de illo Festi abbreuiatus: *Præcias dicebant, qui à Flaminibus præmittebantur, vt denuntiarent opificibus, manus abstinerent ab opere, ne si vidisset sacerdos facientem opus, sacra polluerentur.*

AD BACCHIDES.

CAPVT XXV.

Complurium locorum explanatio. Armati atque animati probè. Vrbicapus. Filij lecti ſine probro, *qui legitimè concepti.* Deſidiæ dare ludum. *Memoriolæ vacillatio in Lambino notata.* Vbi, *pro* vbique. *Enniani Fragmenti apud Feſtum reſtitutio.* Vim maiorem, *an* Vi maiore (*vt* Maritumis moribus) experiri cum aliquo.

PLAVTI Comœdia Bacchides inſigniter eſt motoria & variè delectat. ſed neſcio, an,quæ tanquam per nebulam intelligimus modò, vel laudare poſſimus, vel ea nobis eſſe delectationi poſſint. Mirari certè huiuſmodi licet, admirari item, vt nunc loquimur, non licet. Quid enim? an iſtis arcani quippiam ſubeſſe credat aliquis,quùm ita Chryſalum argutantem inducit Comicus:

Tum

Tum quæ hic sunt scriptæ literæ, hoc in equo insunt milites
Armati atque animati probè.

Atqui iam ita rem se habere maximè pariter mecum omnes vt credāt, meo periculo recipio me effecturum. Aio itaque Plautum non expeditos, sed verò *armatos milites* potissimū nominasse: idque ad differentiam *Adscriptiuorum ad Legionem*; qui, sicuti ex Menechmo videre est, extrà numerum & ordinem militiæ habebantur, vtpote inermes, eòque tantùm adscripti, quò armatis succederent, si quis eorum deperisset. Consule Varronem lib. VI. de Ling. Lat. & Nonium Marcellum.

Illud verò vrbanum nimis de Milite inanium gloriarum plenissimo:

Posteà cum magnifico milite, vrbes verbis qui inermis capit *Conflixi*, &c.

Atque hinc esse scito, quod alibi *Vrbicapi* cognomēto, huius generis ac Stratiotici ordinis hominem insigné facit.

Illud itidem præterire nobis sanè religio fuerit:

Sed Priamus hic multò illi præstat, non quinquaginta modo,

Item ad eundem:

PH. *In te ergo hoc onus omne impono.*

postremò denique ibidem:

Mnesiloche cura & concastiga hominē probè,
Qui dedecorat te meq; amicosq; alios flagitiis suis.

Neq; aliouorsum hæcce Senilis oratio referunda. Sed hoc in Lambino solens & *μνημόνικον ἁμάρτημα.* Scenâ antepenultimâ est:

Quicunque vbi sunt, qui fuere, quiq; futuri sunt posthac,
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones.

Vbi, ἀντὶ τ͂ *Vbique,* positum opinor. antiquè. Sic enim & *Pleri,* prò *Plerique,* aliaque talia promiscuè efferebant. hoc primùm; deinde nominum Synonymia quàm copiosa ac multiplex? quâ ingenium stoliditatis graphicè nimis, hoc est, ad viuum sic quasi penicillo adumbratum videmus. de quibus vniuersis, ne dicam singulis, Festum, qui volet, adeunto ac consulito. cui & hoc præter cætera, *Ennij patris* Fragmentum, debet poësis nostra:

Nam vidi pugnare sues, stolidi, solidi sunt.

Quæ antiquiſſimi Poëtæ verba à bardò illo Longobardo Buccone (vt vides) deformata, ità princeps nobis priſtinæ pænè integritati reſtituit Ioſ. Scaliger:

Namq; auidè pugnare ſues ſtolidi ſoliti ſunt.

pænè dico, nam omninò, ne dicam, *Stolidi* iſti *Sues* prohibent, quos hinc ego in ſyluam procul, vel ſuile ſuum potius, quantum poteſt, amandādos cenſeo; atque eorundem in locum pronomen *τὸ Suis* recipiundum, leuiſſimâ vnius literæ interpolatione: idquè non de *Suibus*, verum de *Lucis bobus*, hoc eſt, barris, ſiue Elephantis dictum, interpretari placet. Scimus enim belluarum id genus, ſi quando efferantur & velut Panico furore acti præcipites ruunt, acerrimè in ſuos ac prorſus brutum in morem deſæuire conſueuiſſe; impetuſque omnes ac truculentiam ſuam à fronte in tergum, hoc eſt, ab hoſte retrò in familiares conuortere. Quâ de re plerique rei Rom. Scriptores cum Lucretio adeundi.

Pugnare autem *ſuis*, ſic dictum, quemadmodum: *Noli pugnare duobus.*

Item:

Item: *Pugnare amori.*

Latæ proinde culpæ insimulandus Gulielmius noster, qui in Verisimilibus suis, nec verisimiliter, nec verè, dispretâ voce reposuerit in Festo:

Nam vi depugnare suos, &c.

Nouissimâ Scenâ cum indignatione quærit Nicobulus: *An ego Experior tecum vim maiorem?*

Cæterum dubito, an accusandi casum ablatiuo commutari sit melius, vt fiat; *Vi maiore.* quomodo loquitur in Mercatore, de amoris violentiâ secum & cum animo suo conquerens adolescens:

Maritumis moribus mecum experitur.

tametsi negare nullus ausim, alteram quoque phrasim illam æquè pol Latinis scriptoribus in vsu fuisse à nobis obseruatum non semel.

IANI DOVSÆ NORDOVICIS CENTVRIONATVS, SIVE PLAVTINARVM EXPLANATIONVM LIBER III.

AD MOSTELLARIAM.

CAPVT I.

Voculæ cuiuſdam integritas in dubium vocata. Lambinianæ correctioni ex parte ſubſcriptum. Pro matulâ habere, *Item*; Permingere *vel* Immingere, *occultiori intellectu, quàm vulgus putat, accipienda.* Natus nemo, *loquẽdi genus Plauto familiare.*

NON luſurus operam mihi videor; ſi, antequam Menechmo inſanienti feriò demum adhibeam medicinám, moſtella aliquot prius è Moſtellariâ partim meâ,

tim meâ, partim meliorum Codicum virtute foras eiecero. Primùm igitur vbi legitur Actûs I. Scenâ vltimâ.

Aduorsum venire mihi ad Philolachem
Volo tempori.

aut corrigendum, *Veniri*, aut certè subaudiendum, *Vos*, siue etiam, *Te.* vt dicamus Plautum ebrij hominis ac saburrati probè blæsos & imperfectos sermones de industriâ exprimere voluisse. seruos enim suos alloquitur Callidamates, quos tempori Aduorsitores fieri sibi, hoc est, maturè ac tempestiuè sibi aduorsum venire præcipit; ac nominatim præ cæteris Phaniscũ suum, quem solum ex globo illo seruili aduorsum hero, sicuti imperatum fuerat, euntẽ, Act. IV. idẽ inducturus posteà.

Nec illud obseruatione nostrâ indignum, *Duritiam* & *Parsimoniam* à Comico coniungi illo versu:

Parsimoniâ & duritiâ disciplinæ aliis eram.

Sic Cornelius Nepos de Alcibiade:

Sic duritiæ se dedisse, vt parsimoniâ victus atque cultus omnes vinceret.

Huc adde Catonis illud à Festo citatum: *Ego iam à principio in parsimoniâ, atque*

in duritia, atque industriâ omnem adolescentiam meam abstinui agro colendo, saxis Sabinis, silicibus repastinandis, atque conserendis. sed enim (vt & hoc obiter admoneam) mendum subesse arbitror verbo illi *abstinui*, putoque legendum *obstinaui*, quod suprà est apud Festum, vel certe *obstinui*, quod idem significat.

Actûs secundi Scenâ I. PH. *Ve mihi Quid ego agam?* TR. *Nunquid tu (malum) me rogitas, quid agas? accubas.*

Vbi præsens pro futuro primùm, deinde *Quid*, pro *Nunquid* suppositum it Lambinus nobis, & quidem ad hanc faciem, quam vides:

Quid ego ago? TR. *Quid tu (malum) me rogitas*, &c.

proinde vt significet Tranio: *Tute ipsus tibi conscius es accumbere te. non debes igitur me rogare quid agas.* Argutè oppidò & probè, meo quidem iudicio. aliter enim, si vulgatam scripturam retinendam putabimus, necessariò legendum erit: *Accubes*, non (vti nunc est) *Accubas.* Sed videtur eâdem rescribendum: *Nam quid*, pro *Nunquid.* quæ correctio nostra Lambinianæ illi postponi cur debeat,

num

num quid caussæ est obsecro? Sed nos ad Callidamatem in soporem conlocatum aliquando conuortamur, qui iussu Philolachetis à Delphio suâ suscitatus, atque à reliquâ conuiuarum ac mulierum turbâ inter manus intrò è conuiuio abreptus raptoribus suis huiusmodi supplicium interminatur:

Iam hercle ego vos pro matulâ habebo, nisi
mihi matulam datis.

id est, vti ego expono, *Permeiam vos*, siue etiam *Immeiam vobis*, molliore tamen sensu, quàm volunt Interpretes; nimirum eopse illo, quo à Catullo scriptũ:

Qui ipse sui nati minxerit in gremium.

Item à Sincero, quem sanè ego pretij non minoris, quàm Catullum & veteres illos æstimo:

Vt scilicet liceret (heu scelus) patri
Natæ sinum permingere.

Quo referendum denique Horatianum illud:

Hunc perminxerunt calones.

Scribit Plautus eâdem in Scenâ:

Tanquam si natus nemo in ædibus habitet.

Cuius orationis raritas fecit, vt hic adscriberetur. neq; enim temerè apud alios

alios huiuſmodi exemplum reperites. Vtitur eo Poëta noſter non ſemel: vt Scena deincipe,

Natus nemo in ædibus ſeruat; neque qui recludat; &c.

Item alibi: —*Credant nato nemini.*

Idem & nobis in vſu, patrio ſermone dictitare conſuetis: **Niemandt van moeders lichaem ghebozen.** Scio equidē Plauto propter iſtiuſmodi loquendi genera euenire, vt faſtidiliter ac contemptim à pleriſque lectitetur, quorum prauum præpoſterumque iudicium tantùm abeſt, vt me de ſtatu labefactare poſſit, vt eæ ipſæ etiam in deliciis mihi, ac tantùm non prò pulpamento habeantur.

AD

AD MOSTELLARIAM.

CAPVT II.

De turbamentis Tranioni in re creperâ obiectis, anquisitum. Locus eâ de re leuiter emendatus. Mirum, quin. *Plautus à calumniâ defensus. Maximam decori rationem ab eodem habitam ostensum. Ad reconditiorem* Orci *significantiam respectum à Comico. Locus Asinariæ à prauâ aliorum interpolatione per caussam vindicatus.* Quæne? *Duum Simonis dictorum restitutio.*

QVÆDAM sunt apud Plautum & veteres, quorum sententiam non difficilè assequi possis, & tamen quamobrem dicantur rationem non habeas. vt vel illud ex huius ipsius Comœdiæ Actûs II Scen. II.

TR. *Perij. illicehodie hanc conturbabunt fabulam.*
Nimis quàm formido, ne manifestò hic me opprimat.

Incer-

Incertum eſt enim, de quibuſnam Fabulæ turbatoribus ſecum loquatur Tranio. niſi ſi fortè herilem filium eiuſdemque conuiuas & mulierum pompam ſignificet: quibus quùm ædes Theuropidis plenæ eſſent, in tantâ adeò turbâ non potuit, quin ſtrepitus intus aliquis ab eiſdem ederetur, contrà ſententiam atque edictionem Tranionis, quâ præmeditatè cauerat idem Scenâ ſuperiore, ne quenquam intus mutire ſinerent, haud aliter quaſi omnes inde iampridem emigraſſent, natuſq; nemo in ædibus habitaret. Eum proinde ſtrepitum quùm metueret, ne perſentiſceret Senex, atque hac ratione Fabula, quam ex re & tempore ſatis commodè exorſus erat, per ipſos conturbaretur; eundem porrò ab ianuâ abſcedere iubet quàm longiſſimè, fingens mortuum illum fores increpuiſſe, videlicet expoſtulantem, quoniam eas Theuropides per imprudentiam percuſſiſſet. Cæterum *Illice* ſcripſi, non *Illiſce* vti vulgò paſſim editur. *Illiſce* enim datiuus pluralis, non nominatiuus ſit neceſſe eſt.

Nec

Nec illa loquutionis ratio ſilentio obruenda, quam habuimus paullò prius hâc ipsâ, in quâ verſamur, Scenâ:

TH. *In ſomnis?* TR. *Mirum, quin vigilanti diceret,*
Qui abhinc ſexaginta annis occiſus foret?

Reperias eandem quoque iteratam Trinummo:

Mirum, quin ab auo eius aut proauo acciperem, qui ſunt mortui.

Item alibi plus ſemel.

Cæterùm illud animaduerſione noſtrâ non indignum hoc loco, Plautum ipſummet ſibi aduorſatum videri poſſe, quùm ante LX. annos occiſum fingat hoſpitem iſtum tranſmarinũ Diapontium, cuius cædis Theuropides eum, qui ædes illas Capitales vendiderat ſibi, ſeriò ac vero vultu inſimulaturus poſteà. niſi ſi tamen venditorem iſtum depontanum planè ac decrepitum, imò octogenario maiorem reconcinnare velimus, ac cædem iſtam ætate iam inde maturâ, putà viceſimo natali ſuo ante ſexaginta annos deſignauiſſe iam olim. At enim video huic quoque obiectioni occurri poſſe, atque

atque in hoc ipso etiam τοῦ πρέποντος maximè à Cômico nostro rationem habitam commonstrari, in seruo præsertim perturbationis plenissimo, & cui nullâ meditationis curâ præmissâ tantùm pariter mendaciorum desubito comminiscendum. in quibus quid mirum, sicubi consilij inopiâ exorbitet anxius secumq; dissentanea vel etiam pugnantia interdum fabuletur?

Est ibidem:

Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit.

rectissimè. suspicorque ad reconditiorem illam *Orci* significantiam respectum à Poëtâ, quâ *Receptorem Mortium* intelligi solitum, testis nobis Isidorus. vnde & *Orcam* natam ac denominatam scribit, pro *Vase quod recipit aquas*. quam vocem reperias & apud Persium.

Et illud negationis genus Actûs tertij Scenâ III. studiosis notandum:

Non confitetur? TH. *Dicam, si confessus sit.*

Sic & Asinar.

Sed quid venis, quid quæritas? ME. *Demenetum volebam*

LI. *Si sit domi, dicam tibi.*

hoc est, dicerem tibi, si domi esset. Sed

cauenda

cauenda ibidem (de Aſinariâ loquor) fruſtratio eorum hominum, quibus gloſſam in contextum referre vacuum fuit, duabus vocibus (putà, *Non eſt*) ſub finem eius exempli adtextis, de manuſcriptorum (vt quidem ipſis commentum placet) codicum ſententiâ & fide, quâ nihil hercle ſubleſtius, id quod ex hâc Moſtellariæ loci conlatione præſente oculo cuiuis de plano fuerit arbitrari.

Accedat huc item mendæ vnius emendatio, quam Actûs III. Scenâ II. in Camerarij noſtri editione Typographorum indiligentiâ obrepſiſſe ſuſpicari lubet. Ea verò eſt huiuſmodi:

Sed Simo, ita nunc ventus nauem noſtram ſubitò
Deſeruit. SI. *Quid eſt? quomodo, peſſime, potuit*
Quæ nec ſubducta erat tutò in terra antehac?

prò quo in aliis legitur:

——Quomodo peſſime potuit,
Quæ'ne ſubducta erat tuto in terram antehac?

ad exemplum videlicet illius quod eſt in Milite:

Quem'ne ego ſeruaui in Cãpis Gurguſtidoniis?

quæ lectio quantum alteri antistet, norunt illi qui aures huiusmodi elegantiis cognoscendis tritas habent.

Eâdem Scenâ suspecti sunt nobis sermones illi superiores:

S I. *Quid nunc, quàm mox?* TR. *Quid est?*
SI. *Quod solet fieri.*
TR. *Dic igitur, quod solet fieri, quid id est?*
SI. *Quid facitis vos? sed vt verum Tranio loquar*, &c.

Aliud enim Simonem percontatur Tranio, aliud Tranioni respondet Simo; quæ inconstantia locũ corruptum manifestò arguit. cui malo vt obuiam aliquando eatur, tollendam interrogationis notulam è postremo versu censeo, tum *Quod*, ἀντὶ τοῦ *Quid* substituendum hoc modo:

SI. *Quod facitis vos. sed vt*, &c.

Quo pacto idem paulo antè satis pòl perplexè ac septuosè Tranioni responderat: *Quod solet fieri.*

AD

AD MOSTELLARIAM.

CAPVT III.

Locus affectus tentatus, & , vt spero, persanatus. Subdiu *dictum, vt* Interdiu. Sarsinatis. *In vocis* Vmbræ *ambiguitate obscurioris sententiæ vmbra discussa.* Mani, *vt* Vesperi, *ablatiuus. In Dionysii sententiam pedibus itum. Senes* Volturij *cur dicti?* Ætate. Ferocem, fastidij plenum facere. *De* Delicati *significatione quæsitum. Mostella aliquot è Mostellariâ eiecta.*

LEGITVR eâdem Scenâ ex personâ Tranionis de hero suo, ex trienni peregrinatione recens domùm reuorso, loquitantis, quem exemplum capere velle fingit ab ædibus Simonis, ad nouũ gynæceum in suis exstruendum, hoc insignito mendacio:

Nã ille eò magnopere ex te sibi exemplũ petit,
Quia hîc audiuit esse æstatem perbonam.
Subdiu coli hasce solere perpetuum diem.

Sed enim locus haud dubiè mendosus, nec enim Simonis responsum conuenit cum verbis Tranionis. Itaq; legendum arbitror, sed timidè tamen:

Subdiu coli absque Sole perpetuum diem.

Solis enim vocabulum desiderari videtur, si sequentia paulò attentius considerare velimus. *Subdiu* verò sic dictum quemadmodum *Interdiu*.

Sequitur ibidem modico interuallo:

Nec mihi vmbra vsquam est, nisi si in puteo quæpiam est,

TR. *Quid? Sarsinatis ecqua est, si vmbram non habes?*

Argutè, sed vmbrosè, id est, obscurè. *Sarsinatis* enim nominatiuus antiquus, vt *Summatis*, *Infimatis*, *Cuiatis*. pro quibus nos *Sarsinas*, *Summas*, *Infimas*, *Cuias* denique diceremus. Alludit autem ad patriam suam Poëta, siquidem *Sarsina* (quam *Diuitem lactis*, & Silius & Martialis laudant) vna ex Vmbriæ ciuitatibus. Iam *Vmbram* bipartitæ notionis esse quis ignorat? eoque non modò opacum illud, quod per æstatem maximè, frigoris captandi, cupidè ac lubenter consectari solemus; sed &, *mu-*

lierem

lierem ex Vmbriâ prognatam interdum designari. *Sarsinatis* ergò, & *Vmbra* grandiculis initialibus literis scribunda. Atque ego nunc hanc operam perdo, actam rem agens, hoc est, ab aliis delibatam iam anteà opinionem deintegro retractans.

Dixerat ibidem Simo:

Sol semper hîc est vsq; à mani ad vesperum.

Rectè *Mani*. est enim ablatiuus eâdem ratione, quâ *Mare Mari* facit. & Plautus dixit Milite:

Qui de vesperi viuat suo.

Neque aliter Seruius v. Æneid. vbi Aduerbia, si Nomina fiant, declinari nos docet.

Habes eâdem Scenâ illâ ridiculum Tranionis commentum, herum suum, veruecem verius quàm hominem, ludos facientis:

At tu istò ad nos obtuere, quoniam cornicem nequis
Conspicari, si volturios forte possis contui.

Ego tamen Monstroliensi meo accedo potius, *Ad vos* legenti: hoc est, *In* „ *istam partem, vbi vos estis.* Facetè enim „ iubet Tranio senem in eam partem „

 oculos

» oculos flectere, vbi ambo sunt: quasi
» ibi sint duo volturij picti, quum tamen
» alij nulli volturij sint, præter senes
» ipsos, quos Tranio per *Volturios* significat. Hactenus Lambinus. *Volturios* autem, Senes vocitasse videtur, vel propter capitum canitudinem, vel propter defloccatam caluitij deformitatem: vel etiam ob auaritiam atque inexplebilem naturam & sordes, commune senectutis malum. Argumento sit Trinummi istud:

Tum autem sunt alij, qui te volturiū vocant;
Hostisne, an ciues comedis paruipendere.

Neque illud loquendi genus derelictui habendum:

TR. *Age iam mitto, ignosco, ætate non quis obtuerier.*

hoc est, *malæ ætatis* vitio minus sincerè (vti loquitur in Epidico) vtilitatem oculis obtines: neque iis æquè clarè atque acutè vides, quàm soles. Sic Pœnulo:

Atq; equidē deditâ operâ amicos fugitaui senes.
Scibam ætate tardiores.

Ætate, id est per, vel propter ætatem sequiorem.

Habes

Habes Scenâ proximâ:

Th. Nunquam ædepol me scio
Vidisse vnquam ablectas ædes, nisi modo hasce.

Cæterùm scribendũ videtur: *Vsquam*, non *Vnquam*. atque eò magis, quòd, *Nunquam*, antecesserit modò.

Malè eiusdem Comœdiæ Actus v. Scenâ II. Lambinus:

Ferocem facit, quia te herus tam amat.

Recepta enim lectio retinenda, *Ferocem facis*, vt Prouocabulum id quod mox Aduerbio *Quia* subiungitur, *Te* inquio, subaudiatur. Cui quidem assertioni cõsonat locus ille è Milite: *Facito fastidî plenum.* absque Pronomine, quemadmodum & hoc loco. nec minus vernaculum illud nostrũ: Ghy maeckt den haen.

Illud verò ex Phanisci personâ enunciatum:

Vah, oculi dolent. cum interrogationis nota rescribendum autumo. neq; aliter est in Camerarianis, vt subaudiatur *tibi*. quasi diceret: Meuchde ghyt niet lyden. oft: en is sulcx niet wel van uwen sinne?

Quid vero esse autumem, quod ibidem Phanisco aduorsitori Callidamatis ob-

tis obiicitur à Theuropide? *Puer nimium es delicatus.* an quod Stalinoni in Casinâ Alcesimus exprobrat dicens:

Attate cædundus tu homo es, nimias delicias facis.

interpretaměto in obscænum sensum detorto? an potius pro iocoso ac dicace, hoc est, ludos seu delicias faciente positum suspicabimur? Vtut est, certè Lambini interpretatio superiori argumento parum respondet, *Delicatum* hoc loco, pro *molli* & *tenero* simpliciter accipientis.

Malim Scenâ penultimâ Actus V. *Vel inbe ædes mancipio poscier* legere, quam *Poscere* cum exemplaribus nostris.

Item sub postremæ finem, vbi Callidamates de Sodalitate orator, imo verò exorator datus, acceptâ ad se lite, veniâ Sodali suo Philolacheti à Patre eius impetratâ, etiam Tranioni pacem conciliare se studens subdit protenus:

——Fac istam cunctam gratiam
Tranioni remitte quæso hanc noxiā caussā meā.

potius rescribi placet:

Fac istam coniunctam gratiam.

hoc est, da veniam seruo quoque tuo, quoniam

quoniam filio (cuius causâ noxam miser commeruisse videtur) iam ignouisti. Error ex barbarâ consuetudine natus, pro *Con. 9.* per abbreuiationem scribillantium.

AD MENÆCHMOS.

CAPVT IV.

In, Malæ crucis, *explicatione Magistellis nostris crux fixa. Faërni curiosa felicitas. Lambini error refutatus.* Adolescens escæ maximæ. *Plautinæ* Industriæ *intellectus industriosè enucleatus.*

NVNQVAM hercule æquè mihi beatus videor, ac Menæchmum cum lego, ita pariter & lepore simul & varietate delectat. Atque vtinam tantum mihi sollennis otij suppeteret; vt Comœdiæ illi additâ operâ frequentare, vtilisque pro copiolis meis in partem haberi possim. Nunc tempori seruire atque obsequelam facere cogor, spatiis exclusus iniquis. ne istic

tamen indiligentius, quàm in aliis, fuisse arguar; decretum est mihi quædam in eam è Coniectaneis nostris huic chartæ adtexere, quæ vt doctos non iuuent, at certè iis, qui se doceri haud molestè ferent, incommodare non poterunt. è quo genere illud fuerit vel primum, quòd Epidamniensi Mercatori, qui alterum è Menechmis surripuerat, humanitus euenisse ornatu Prologi commemoratur à Poëta:

Ingressus fluuium rapidũ ab vrbe haud longulè
Rapidus raptori pueri subduxit pedes,
Abstraxitq; hominem in maximam malam crucem.

Quorum verborum sensus, quòd in promtu sit, coniectore non eget; præter postrema illa, quæ penitus Latinitati aduersantur, eorum dico, qui *Malam crucem* pro Gabalo, seu patibulo passim accipiunt. Sed accipiant, proinde vt velint, abeantque ipsi potius in maximam malam crucem, dum tamen & nobis nostram liberè consulendi sententiam relinquant; qui non aliâ quàm Veterum auctoritate, quasi consignatis tabulis nitimur pro testimonio

monio: quæ mehercules apud nos pluris est, quàm istorum obscura diligentia. *Malam* itaq; *crucem*, pro quouis cruciatu, siue etiam exitio, atque (vt ipsus alibi Poëta loquitur) *Malâ peste* Romanis passim scriptoribus vsurpatum autumo. Exemplis supersedebo: vnum proferam modo huic penè gêminum, quippe in re & argumento consimili è Rudente:

Salua est, euasit ex aquâ: iam in littore est:
Sed dextrouorsum auersa it in malam crucem.

Sed nec temperare hic possum mihi, quin hoc loco curiosam Faërni felicitatem prædicem, quâ idem in Centum Fabulis illis ex omni antiquitate seligendis vsus, quas etiam vario insuper carminum genere explicauit,

Docte (Iuppiter) & laboriosè!

tametsi in longè alia sententiâ esse animaduerto, quos ego Oscè aut Volscè potius, quàm Latinè scire arbitror. Eius ipsissima hæc sunt verba ad imitationem (vti apparet) Plautinæ venustatis efficta ac conformata:

Tum denique ille irâ impotenti percitus
Præcipitem asellum in maximā malam crucem

Ab ag-

Ab aggere alto in proximum flumen dedit.

Scitum mehercule ac Parasiti ingenio congruens Actus 1. Scena 1. præconium Regi suo facit Peniculus, metaphorâ verè Plautinâ:

Nam illic homo homines non alit, verùm educat
Recreatq́. nullus meliùs medicinam facit.
Ita est adolescens ipsus escæ maximæ.

hoc est, nullus est medicus, qui præsentiorem medicinã ægris faciat suis, quique lepida æquè vel salubriora languentibus medicaméta præscribat aut præbeat, quàm gutturi ventrique meo famelico esuriales ferias defendens atque auerruncans, concinnat Menechmus noster. Sed neque postremus Senarius iste satis à Dionysio perceptus ita ibidem commentante: *Ita ipse adolescens non est escarum apparator, aut largitor, aut ministrator, sed escæ ipsæ.* At verò ignoscendum errori humanitus admisso. Casu enim in fraudem inductus Cõmentator, quem ille pro nominatiuo plurali habuisse videtur, vtroque nomine deceptus scilicet, quũ & numero singulari, & generãdi casu, ex Parasiti sententiâ, duo illa nouissima sint accipienda: neque

neque aliud significare voluerit Peniculus,quàm Menechmum ipsum escæ maximæ, hoc est, cibi plurimi esse, ac edacitate suâ cæteros quantũ est manducones multis parasangis antecellere.

Est & altera phrasis Scenæ sequentis initio nõ minus elegans ac rara, quam vt silentio obruam, *non meream Deûm diuitias mihi*, vt inquit Plautus. Eâ, in Andromachâ suâ ob meritam noxiam castigandâ, vtitur Menechmus his verbis: *——Virum obseruare desines.*

Atque adeò, ne me nequicquam serues, ob eam industriam

Hodie ducam scortum ad cænam, atque aliquò condicam foras.

Promptè hercle Menechmus, ac planè masculum in morem. Nam (meo quidem animo) si idem istuc cæteri faciant, si idem imitentur, ne istæ faxim nusquã appareant, quæ furiosæ æmulationis vitio (quam vulgò Zelotypiam dicimus) subseruire sibi postulant viros. Verũ nolo istæc hîc nunc, nec hercule operæpretium quidẽ mihi commemorare, quæ etiam iam pueri sciunt. illud potiùs quod nesciunt, curæ est,

ræ est, me præceptore vt discant, quàm videlicet gauisus hac loquendi ratione Sarsinas noster, vt quam eâdem in Fabulâ denuò ipsum iterare nòn puduit eo loco, vbi eandem Mulierem vagos viri sui amores apud senem Patrem hunc in modum criminãtem inducit:

MV. *At enim ille hinc amat meretricem ex proximo.*

SE. *Sane sapit: ob istanc industriam etiam faxo amabit amplius.*

Nec non Mercatore:

Bene valete, atque adolescentes, hæc si vobis lex placet.

Ob senum hercle industriam, vos æquum est clare plaudere.

A D

AD MENECHMOS.

CAPVT V.

Plautini Commentatoris expositiones aliquot explosæ. Ennij locus explicatus. Quid nomen est tibi? Sic sine. *Cur Erotium inibi fores claudi vetet, explicatum. Plauti Menechmis duûm locorum correctio.*

SCENA eâdem istuc quoque inemẽdatum nobis abire non debet:

P E. *Salue.* M E. *Quid ais?* P E. *Teneo dextera Genium meum.*

Legendum enim haud dubiè: *Quid agis?* vt responso Parasiti magis quadret interrogatio Menechmi.

SCENA III. Lambini explanationem explodendam censeo illo in versu: *—In eo vterque proilio potabimus.*

Nec enim, quum *Vterque* dicit, se & Parasitum suum intelligit Menechmus, proinde vt Monstroliensis ille credi ac videri cupit; verum se cum Erotio suâ potius. Argumento est istud, quod argutissima meretrix illa

Penicu-

Peniculum extra numerum ſibi ac veluti adſcriptiuum ad legionē eſſe prædixerat modò. Habes ibidem poſtea:

Madida quæ mihi appoſita in menſam miluinam ſuggerant.

Mendosè hîc Lambinus, qui verbum *Apponere*, Præpoſitioni *In* iunctum, auferendi modò, non etiam accuſandi caſum regere arbitratur, cõtrà & Manuſcriptorum Codicum fidem, & auctoritatem Ioachimicæ Editionis.

Scenulæ quartæ principio his verbis Cylindrum coquũ ſuum obſonatum ablegat Erotium:

Sportulam cape atque argentum, tres eccos nummos habes.

Quo loco nummos aureos intelligit Lambinus, nec cautè nec cogitatè ſatis, quum argenti, non auri præceſſerit mentio, niſi ſi fortè *Argentum* tamen, prò *Auro* nobis obtrudi patiamur, quod ex re futurum haud ſanè arbitror. Illîc verò Actus II. Scenâ II. vbi Cylindrus inſaniæ à Menechmo inſimulatus, nummumque ad ſeſe porco ſacreſiciandum accipere iuſſus, hoſtimentũ par pari reddens eidem viciſſim eſt auctor:

auctor: ——*Si me consulas,*

Nummum illum, quem mihi dudum pollicitus dare,

Iubeas, si sapias, porculum adferri tibi.

potius est, vt, *Nummo illo*, auferendi casu scilicet, iudicem emendandum.

Scenâ eâdem:

Rogant, cuiatis sit. prò quo nos, *Cuias*, vulgò hodie vsitamur. Sic *Sarcinatis*, *Infimatis*, est alibi, ἀντὶ τῶ *Sarcinas*, *Infimas*. Ennius:

Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis,

Quisquis erit, cuiatis erit.

Ad quam sententiam, per caussam huiusce loci à Lambino productam, obiter enarrandam, comitas est mihi, hoc glossemate. Eum demum virum fortem, condignúmque Carthagine meâ ciuem æstimabo, qui hostem ferire condidicerit modò; siue is Gallus, siue adeò Hispanus, seu cuiuscunque nationis fuat denique. quasi diceret:

Trax, Tyriúsve mihi nullo discrimine habentor;

modò strenuus Martio in certamine, ac manu promptus. oratione, ad mares animos acerrimè in prælium exacuendos, multò accommodatissimâ.

Scias ab ſummo Pœnorum duce, Haſdrubale putà, ſiue Hannibale verius, ad pugnam cum hoſte capeſſendam, in ipſo procinctu per tempus pronunciatam. Quorum Imperatorum copiæ ex quantâ, quamque multigeneri ac diſſonâ gentium colluuie cõflati fuerint, cognitiſſimum ex Liuio cæteriſque tam Romanæ quàm Punicæ Rei ſcriptoribus.

Sequitur in Plauto:

Quid ei nomen ſiet.

Lambinus tamen hoc loco:

Quod ei nomen ſiet,

magis probare ſe dicit, perperam. *Quid* enim dictũ, vti & hodie, *Id nomen*, dicimus. Conſimiliter & noſter Pſeudolo:

Sed quid eſt tibi nomen? PS. *Seruus eſt huic lenoni Syrus,*
Eum eſſe me dicam. Syrus ſum. HA. *Syrus?*
PS. *Id eſt nomen mihi.*

Scenæ conſequentis initio notanda phraſis illa, quâ Erotiũ coquum ſuum fores apertas relinquere iubens dicit:

Sine fores ſic, abi, nolo operiri.

Vſus hâc eâdem conſimiliter Cato ille Cenſorius lib. de re Ruſt.

Vinum

Vinum ita sinito. Item alibi:
Ita relinquito vsque ad vindemiam.
Nec diuinatui difficile, quamobrem fores suas operiri, id est, claudi vetet Erotiũ, eis præsertim qui experimentis cognitum habent, nihil peius neque deterius homines amatores, quàm occlusas dominarum suarũ ianuas odisse, nihilque adeo illubentius, quàm CAVE CAVE CANEM ostio formosæ alicuius inscriptum spectare. cui malo vt occurratur, cautionem ferè adhibere condidicerunt Iphtiphillæ nostræ,

Ne quis liminis obseret tabellam,
Neu sibi lubeat foras abire;

quoties status condictus cum Phaone suo, Venereis vadimoniis conuadato, intercedit dies. vt fiat Stalinonis illud:

Fac habeant linguam tuæ ædes, quum veniam vocent.

hoc est, vltrò vtroque poste patentes me ad se ingredientem inuitent, ne foribus assulas facere habeam necesse.

Edicit ibidem meretrix illa:
Sternite lectos, incendite odores. Idem Cic. *Aderant vnguẽta, coronæ, incendebãtur odores.*

AD MENECHMOS.

CAPVT VI.

Amare, *pro* Orare. Meâ caufsâ. Saltus damni. *Menechmi multoties emaculatæ, alias illustratæ.*

EADEM Scenâ, quæ vltima Actus secundi cluit, Meſſenio ſeruus admirans ait: *Prô Iuppiter?*

Nunc iſthæc mulier illinc venit, quæ te nouit tam catè?

Vbi tamen dubitare ſubit nobis, an pro voce *Nunc*, cõmodiore ſenſu *Num* reponi poſſit, vt ſit quærẽtis, ſeu (quod impenſius placet) admirantis oratio. atque ità melius aliquantò ſubſiſtet id quod porrò inde argumentis Erotij victus ſubiicit Menechmus Soſicles:

Hercle opinor pernegari non poteſt.

Adpingam & alteram emendationem nõ minus veriſimilem ex eapte Scenâ, in petitione illa Erotij, quæ mihi inepta adeoque prorſus inſulſa videtur, nec digna, cui vllo modo concedat Menechmus, niſi eam mecum hùnc in modum emollias:

Sed

Sed ſcin', quid te amabo, vt facias? M E. *Impera quiduis modo.*

Nam vt in noſtris exemplaribus hodie vulgatur:

Sed ſcin? quid te amabo, vt facias, imperò? M E. *Quiduis modo.*

eam verò orationem neque homini amatori, neque meretrici, blandienti præſertim (vt quod res eſt fabuler) vllâ ratione conuenire arbitror. Quoniam igitur iam ſatis mihi acceptum videtur, lectionem à me conſtitutam multis millibus huic vulgatæ anteſtare, ne dicam ipſiſſimam Plauti eſſe; reliquum eſt, vt quid *Amabo* iſtuc ſciat facere, breuiter quantum poteſt explanem. quam quidem dictionem ego vſque ex penitiſſimâ antiquitate depromtam autumo; nec aliud quicquam hoc loco ſignificare, quàm quod apud nos, *Orabo.* Id ita eſſe vnico hoc argumento haud difficulter euincam, quod ipſe auctor paullò poſt eâdem voce Erotij ancillam Menechmo ſuppalpantem inducit, quum ſcribit:

Menechme, amare ait te multum Erotium
Vt hoc nunc vnâ operâ ad aurificem deſeras.

Quid apertius? Sed & Græcos haud dissimili modo credo στέργω suum accipere. hoc enim non tam *Amo*, quam *Oro* significat, si Sophocli credimus. Neque omittendum, quòd nos etiamnum hodie ad imitationem priscorum quidpiā ab aliquo postulaturi, *Amabo te*, in oratione directâ dictitamus. in quâ sententiâ Camerarium quoq; nostrum fuisse video. Neq; pol mirum, is enim princeps hanc lectionem auctori suo assertam vindicauit, quum in omnibus anteà codicibus legeretur, *Orare*, glossâ scilicet in contextum transcriptâ.

Nolo ab hoc concilio segregare dictum doctissimum Actûs v. quo vxoris fratris germani sui minacias muliebres de dissidio ac diuortio faciundo retūdit Menechmus Sosicles inquiēs:

Meâ quidem hercle caussâ vidua victita,
Vel vsque dum regnum obtinebit Iuppiter.

Id est, (vti ego interpretor) per me vidua vel ætatem victites licebit. Sic enim & Epidico:

Dum sine me quæras, quæras meâ caussâ vel medio in mari.

Sed verò omniū clarissimè, vbi scribit:

Meâ

Meâ quidem cauſsâ ſaluus ſis licet.

Denique in hac ipsâ Comœdiâ infrà:

Mea quidem cauſsâ liber eſto, atque ito quò voles.

id eſt, quantum ad me res ea attinet; quantum in te mihi eſt imperij:

Emendo Actu V. ex perſonâ inſanum facientis, hoc eſt, falsò furere ſeſe aſſimulantis Menechmi, quàm graphicè (Dii boni) & quàm probabiliter!

Agite equi, facitote ſonitus vngularũ appareat
Curſu celeri, facite inflexa ſit pedum pernicitas.

Senſu facili & eleganti. Pedum pernicitas enim, niſi inflexa ſit, celeri curriculo eſſe non poteſt. Quocircà ſic malo, quàm cum Camerario & vulgatis, *Inflexu*, coniunctim, aut cum Lambino, *In flexu*, diuiſim duobus verbis legere.

Lego ibidem in Senili illâ ad Medicum commonitione:

Aliam occipiſſe fabulam.

non (vt in Editionibus eſt) *Occipis*, niſi ſi quis tamen *Occipito*, vel *Occipias* malit, eſt enim imperantis. idq́ue ſenſus ipſe non poſtulat ſolùm, verùm etiam efflagitat.

Sub Scenæ eius exodium, vbi Messenio solus secum de heri salute sollicitè disserens anxièque satagens inducitur:

Neque vtrum ex hoc saltu damni saluum scio eliciam foras.

Malim, *Vt eum*, pro *Vtrum* rescribillare. *Saltus* vero *damni* sic dictum, vt *Montes mali, mœroris*, atque aliâ talia infinita apud hunc Comicum. Quò etiam referundum prouerbium illud è Casina:

Iam ego vno in saltu lepidè apros capiam duos.

Nec tamen negitem, ad obscœnam illam, hoc est, malè ominatam ciuitatis Epidàmni appellationem, Messenionem, pariter vt aliâs, etiam hoc loco respicere voluisse.

AD MILITEM.

CAPVT VII.

Locorum aliquot Plautinorum collatio cum Cicerone, Valerio Maximo, Prudentio, aliis. Peniculum tectorium *quid sit. In Turnebi sententiam facta discessio.* Occideras, *prò* Occidisses. *De verbi* Monet *significatu non proletario Lector admonitus.* Ergo, *prò* certè. *Plauti Miles aliquoties à corruptelâ defensa.*

NON vltimam sanè inter Plautinas Fabulas gloriam iure suo Miles Gloriosus meretur. Nam prætorquam quòd tota sale, lepore, politissimisque sententiis efferta; graphicè in eâ insuper nobis vanitatis imaginem sub Pyrgopolinicis personâ adumbrauit Poëta noster, eos innuens, qui se primos omnium rerum esse volunt, nec sunt, *cælum ipsum* (vti Flaccus ait) *stultitiâ petentes. quorum animis indomitis, superbiæq; intolerabili*

Neq; lex, neq; tutor capere est qui possit modū.

Sed hæc ab instituto nostro immane quantùm discrepant, cuius vna atque vnica est ratio, mendosas scripturas, non autem Stratioticos mores corrigendi ac castigādi. quos fines ne ingenioli nostri transcendat impetus, ædepol cauto est opus. atque adeò (vt iam inde à principio hoc quicquid est telæ exordiamur) auscultemus quæso paratragœdiantem Pyrgopolinicen, animoque aduersemus sedulò, num satis conueniat epithetum illud, quod *Macharæ militari* in libris nostris assignatum legitur eo versu:

Quæ misera gestit fartum facere ex hostibus.

Ego certè (quanta quanta sapientia est mea) leui commutatione factâ, *Miserè* mauelim. quam locutionem facilè admittent ij, qui Terentium vel primoribus labris delibarunt.

AR. *Memini. nempe illum dicis cum armis aureis.*

Sic & Cic. in Bruto: *Tum ille: Nempe eum dicis (inquit) quo iste omnem rerum memoriam breuiter, & (vt mihi quidem visum est) perdiligenter complexus est.*

Cuius tu legiones difflauisti spiritu.

Simil;

Simile de Ægyptiorum exercitu Valerius Max. lib. IX. cap. I.

Quapropter delitiis tam enerues animi; spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt. De *Peniculo* verò *tectorio*, quod sequitur, quodque idem complures, & quidem doctissimos exercitos habuit, credo illud volt dicere Plautus, penicillum vel bubulum vel vulpinum, quî extergentur non quidem Baxeæ (vti in Casinâ est) sed (quod decere videtur magis) tectoria cubiculorum, nimirum incrustati an tessellati parietes emblemate vermiculato, vel (quod apud nos moris etiamnum hodie) elegantiore integumento materiario exculti. Sed cum Lambinus aurem vellerit nobis, talem peniculum non tam facile à vento difflari dissiparique, quàm folia, quæ præcessére; animum inducere posse videor, vt cum eo, quem dico, in Turnebi sententiam discessionem faciam denique, *Paniculam tectoriam*, felici coniecturâ restituere ausi primitus.

In eâdem Scenâ Artotrogus quid velit, haud satis percipio, responso illo:

Nouisse mores me tuos meditatè decet.

Curamq;

Curamq́; adhibere, vt prænolet mihi, quo tu velis nisi forte (quod suspicor) rescribendum, *Quod* prò *Quò*. vt significet Parasitus cautionem paratè adhibendam sibi, vt quod dominus velit, sibi anteà prouisum ac præmeditatũ fiet. Quod ipsum & nos hinc mutuati in Cupidines nostros transcripsimus iam olim adolescentuli huiusmodi disticho:

Hæc te nosse decet, curamq́; adhibere fidelem,
Prænolet vt menti, quod volet illa, tua.

Perinsignis ibidem & illa Parasiticæ assentationis hyperbole:

Quid in Cappadociâ? vbi tu quingentos simul,
Nî hebes machæra foret, vno ictu occideres.

At enim me ratio temporis in verbo *Occideres* offendit, neque hercules vnquam deterrebor, quin scriptum fuerit à Plauto, *Occideras*, ἀντὶ τοῦ *Occidisses*, genere loquẽdi Poëtis perquã familiari.

Duo prætereà loca eiusdem Scenæ adscribam, idque totidem verborum gratiâ modo, quæ quidem mihi haud vulgario significatu accipi placet. Primum est, *Monet*, quod herclè ego interpretandum ex præcedentibus hariolor, prò Memorem facit, & quasi memo-

memoriam ſuggerit mihi: neque alibi vel oculorum aciem, vel animi mentem habuiſſe cenſendus Paraſitus ille Phædromi in Curculione, quum ait:

Nil tu me ſaturum monueris.

Alterum eſt, *Ergo*, ab eodem Artotrogo in gratiam Regis ſui, quaſi hoc ipſum ab neſcio quâ formoſâ, complexum eius medullitus cupiente, accepiſſet, confictum. quod ego prò *Certè* à Poëta poſitum mihi certo certius perſuadere auſim. Sed melius verba ipſa apponere:

Ergo mecaſtor pulcher eſt, inquit, mihi.
Et liberalis viſus.

quomodo & in Perſa; *Ergo edepol palles.*

Eiuſdem Scenæ verſum:

Vt te hodie quaſi pompã illâc præterducerem.

prudentiſſimè imitatus videtur Prudentius de Veſtâ loquens:

Fertur per medias, vt publica pompa, plateas.

AD MILITEM.

CAPVT IIX.

Foris concrepuit à Sene, *apud Plautum.* Fulgor ab auro, Ceres ab Iaccho, *apud Lucretium.* *De* Talis lusoriis *accuratè disceptatum; seruis eorum vsu interdictũ* Lege Talariâ *ex Plauti Sticho ostensum. Quò ea lex pertinuisse videatur, item ostensum.* ☞, Cogitans, *intellectus remotior excogitatus. Sententia Plauti à Sallustio expressa. Lambinianæ expositioni fides abrogata. Locus Catulli ab inquinatissimis quorundã manibus vindicatus. Eidem à Comico nostro lux facta. Super locis aliquot Plauti suspiciones iustæ.*

SECVNDA Scenâ, vbi hodie legitur nullo sensu:

Nam unum conclaue, concubinæ quod dedit
Miles, quo nemo nisi ea se inferret pedem.

Pede ex Catullo emendandum censeo, iisdem ferè verbis vtente:

Quò

Quò mea se molli candida Diua pede
Intulit, &c. Quod si cui non probatur, meâ ille quidem causâ audacter cum Turnebo, *Eapse*, si volet, legat. quod certè temerè improbare non ausim, tanto præsertim tibicine ac Lambino suffragatore suffultum.

Scena II. totius argumenti Comici continet narrationem, quam à nomine Comœdiæ exorsus; & oppidum, vbi res istæc gesta fingitur, eâdemque patriam nuperi ac nouitij heri sui cõmemorare pergit Palæstrio, his verbis:

Hoc oppidum Ephesu'st: idem est miles meus herus.

Sic enim in Camerarij ac aliorum editionibus, contrà & Lipsianam & Lambinianam sententiam, quibus res ipsa ad huiusmodi emendationẽ porrò commonstrauit viam:

Inde est miles meus herus.

Vnde suspicor reponendum: *Indidem est*, &c. Nam Pirgopolinicẽ Ephesium esse ostendit Palæstrio. Quæ correctio nostra proximè insuper ad industriosissimi Camerarij coniecturam accedit, qui, *Ibidem*, videri legendum

sibi

ſibi nos iam præmonuerat anteà.

Scena III. edictionem continet, quam prò imperio herili domeſticis ſuis habet Periplectomenes:

Quemque à milite hoc videritis hominem in noſtris tegulis,
Extra vnum Palæſtrionem, hunc deturbatoté in viam.

Id eſt, vti ego horum verborum ſenſum percipio: Quemcunque videritis ex familiaribus Militis. Sic alibi: *Foris concrepuit à ſene*, id eſt *ſenis*. Particula enim *A* ſexto caſui iuncta eandẽ cum patrio caſu virtutem obtinet. Atque hoc Latini illi cum vernaculo ſermone noſtro cõmune habere exiſtimari poſſunt, quo dicimus: De dienaer van Peeter ofte Pauwel / ἀντὶ ȣ Peeters ofte Pauwels dienaer. Nec abhorrens ab elegãtiâ iſtiuſmodi Lucretius; apud quem *Fulgor ab auro*, Item: *Ceres ab Iaccho*, prò *Auri fulgore*, ac *Iacchi Cerere* leguntur.

Arguta porrò ac lepida pòl nimis ambiguitas in ſimulata Edictione illa, quam (vt dixi) familiaribus ſuis habere inducitur Periplectomenes Senex, cũ huiuſmodi minaciarum clauſulâ:

Atque

Atque adeò vt ne Legi fraudē faciant Talaria;
Accuratote, vt sine talis domi agitēt conuiuiū.

Fraudem faciant, id est, peccent in Legem Talariam. Cæterùm addubitari posse video, quænam fuerit Lex ista Talaria. Ego verò ad Talos lusorios & conuiuiales pertinuisse arbitror., quibus *Regna vini* (vt quidem Flaccus loquitur) homines liberi ac ingenui sortiebantur. liberi dico. Etenim contrà seruos eampse latam, ex hoc ipso loco coniecturam facere posse videor; atque huic ordini vsum Ludi Talarij interdictum vel illud in primis argumento esse potest, quod neque Persâ, neque adeò Sticho, vbi tamen seruilium cōuiuiorum, tanquam ex professo, apparatus pompæque ac festiuitates omnes ordine describuntur, vel minimissimam Talorum mentionem factam vsquam gentium est obseruare. Mirum verò, ni Talaria ista ad *Publiciam de Lusu*, aut *Titiam* pertinuerit.

Graphicè inibi vultum, statum, habitumque ac gestus omnes hominis cogitabundi, multáque secum & cum animo suo anxiè agitantis in Palæ-

ſtrione expreſſurus Periplictomenes, ſic incipit: *Illuc ſis vide,*

Quemadmodum abſtitit: ſeuerâ fronte curas cogitans.

hoc eſt, adſtrictâ, caperatâ, ſeu corrugatâ ac matutinâ fronte curas vnà pariter cum ſuperciliis adducens, & velut ſurſum compellens ac *cogens*, à cuius ſimplicis verbi fonte frequentatiuum iſtud *Cogitans* deductum detortumque videri poteſt, veluti *Coagitans*, id eſt, congregans vnũ in locum. *Cogere* enim ſimul agere eſt, quaſi tu *Coigere* dicas.

Sequitur ex eiuſdem perſonâ haud longulè:

Magnum illic honorem incipis, ſed magna munis mœnia.

Apage particulam iſtam aduerſatiuam alieniſſimo hercule & loco & tempore, ignorantiæ (quâ nihil ſubtilius) vitio à ſciolis inculcatam. neque placet. Puto itaque legendum:

Magnum illinc honorem indipiſces, magna munis mœnia.

(quam ſententiam ſtrictim, vt omnia, acribus verbis à Salluſtio expreſſam inuenias Oratione ad Cæſarẽ de Rep. ordinandã

ordinandâ priore : *Magnæ curæ magna merces est.*) nisi si quis hanc correctionem prætulerit:

Magnum illic honorem incipiscis, m. &c.
vel potius Camerarianã illam; quam & Lambinus sequutus:

Magnam illic hanc rem incipiscis, magna, &c.
Habes Scenâ proximâ Sceledri consultationem secum ambigentis, vtrum de Philocomasij furto, quod viderat, malo indicium hero suo facturus, nécne. cui hæc subiungit denique :

Edepol facinus fecit audax. hoccine si miles sciat?
Credo hercle has sustollat ædes totas, atque hinc in crucem.

Vbi de semetipso loqui existimandus μεταφορικῶς, sicuti Pœnulo:

Atque auctionem faciam. nam impunissimè
Tibi quidem hercle vendere hasce ædes licet.

quum de se & capitulo suo verberalissimo, quippe seruili fabuletur: quod quidem hero, si velit, sub titulum venale mittere, seu venum proscribere impunè ius fasque esse dicit. atque ità hunc locum explicandum contrà sententiam Interpretis, nescio quàm vi-

 cini

cini ædium ſubuerſionẽ à Milite ſomniculosè imaginantis, declarant ſequentia illâ:

Hercle quicquid eſt, muſſitabo potius, quàm intercam malè.

Legitur ſubinde:

*——*Sc. *Abi, ludis me Palaſtrio.*
P A. *Tam mihi ſunt manus inquinata?*
S C. *Quî dum?* P A. *Quia ludo luto.*

Sic enim tam Lambini quàm Camerarij editio, à quibus mihi (vt ſpero) fraudi non erit, ſi & hîc ſeorſum ſententiam, reſcripturus hoc modo reiectâ interrogationis notâ:

P A. *Tum mihi ſunt manus inquinata.*

Cuius ioci explicandi compendium vt faciam, Lectorem meum ad Lambini Commentarios ablegabo. Is enim optimè (Iuppiter) omniumque commodiſſimè tum huius, tum conſequentis dicti ſententiam explanauit. *Ludo* itaque *luto* conſimiliter dictum, ac de Prometheo Martialis illud:

Saturnalitio luſit & ipſe luto.

Atque hic Plauti locus veteri & antiquæ Catullianæ lectioni fulciundæ fuerit maximè quæ habet:

Nam

Nam dextrâ pater inquinatiore,

atque explodendi in perpetuum Carrionis, cum subidissimâ inuersione suâ:

Nam dextrâ pater est voraciore, &c.

Etenim de dextrâ inquinatâ, id est, gypsatis quasique glutino ac visco, &, quod nos vernaculo conuicio, manibus pice infectis dictitare solemus, interpretandum; eodemque à Catullo allusum fuerat & suprà:

Quæ nunc tuis ex vnguibus reglutina & remitte:

id quod ab ipso illo, quem dixisse me sentio, vellem vtique tandem tandem impetrare possemus.

AD MILITEM.

CAPVT IX.

Volgaria lectio in Milite repudiata. Dictum Sceledri de Palæstrionis somnio haud somniculosè expēsum. Ad Plauti illustrationem Propertius, Tibullus, Ouidius, Martialis, Festus denique aduocati. Comprecari. *Sceledri nomen in Palæstrionis verbis restitutum.*

SCENA, cui initium eſt:
Præcepta facito vt memineris.

Philocomaſium ex præſcripto Palæſtrionis rem gerens, omnemq; cum alieno adoleſcente oſculationis, quam per vicini impluuium deſpexerat cuſtos herili concubinæ additus Sceledrus, non dico culpam, ſed ſuſpicionem modò à ſe ſegregare, ſpernere, ac procul amoliri ſtudens, ſomniū ſuum quaſi narrans inducitur, eo videlicet conſilio ac fini, quò ſtultiuido cuſtodi ſuo os oblectaret ſubdola, eique de ſomnio fidem faceret, non ſe, verùm

ſororem

ſororem geminam germanam ſuam (quam nocte, quæ præterierat, proximâ ad vicinum in hoſpitium diuortiſſe videri cupit) ab eo de tegulis per impluuium deſpectante deprehenſam, ibi dum cōdignam ſe ſectatur ſimiam, interim dum illa caput & corpus cum amatore copulans ſuo, neſcio quid ineptiarum forte (vt ſolet fieri) perpetrat licentius. quam commemorationem auſpicatò occœptam excors, cæcus, incogitabilis ille Simiæ herilis ſectator, iam inde ſtatim ab exordio abrumpens ait:

Palæſtrionis ſomnium narratur.

Ita enim inibi legendum, non vt Lambinus priores omnes editiones ſequutus retinuit porrò; *Palæſtrioni*, ipſa res atque adeò rei ipſius ſententia clamitant palam: vt ſignificet Sceledrus, ſe ita matulam non eſſe, vt non percipiat ſomnium, quod ſibi & Palæſtrioni à Philocomaſio narratur, Palæſtrionis ipſius commentum eſſe, eamq́ue de compacto verbiſq́ue adeò conceptiſſimis hoc agere, à conſeruo ſuo Palæſtrione iam anteà præceptis oneratam

ac instructam probè & meditatè ad fallacias atque offucias, quibus pòl incauto sibi glaucoma ob oculos obiiciatur, Palæstrione inquio, concubinæ isti supparasitante assiduè. neque mirum, quippe qui (id quod idem priore item Scenâ conquestus) ei proximus sit semper, primusque adeò ad cibum vocetur, vnus denique ex omni familiâ pulmentum à delicatâ formosæ illius manu accipiat.

Quid verò esse dicam, quod ibidem post somnij supradicti narrationē, Palæstrio amicam herilem abire intrò ac comprecari iubet? an quod Romanus Callimachus noster Cynthiam itidem suam fecisse commemorat?

Ibat & hinc castæ narratum somnia Vestæ,
Neu sibi, néve mihi quæ nocitura forent.

Hercle verò seriò. neque aliò referendum Tibullianum istuc:

At natum in curas hominū genus omina noctis
Farre pio placant & saliente sale.

Item:

Ipse procuraui, ne possent sæua nocere
Somnia, ter salsâ deueneranda molâ.

Quibus etiam à Propertio succinitur:

Nam

Nam cui non ego sum fallaci præmia Vati?
Quæ mea non decies somnia versat anus?

Nec minus Ouidio II. de Arte:

Multa voue, sed cuncta palã: quotiesq; licebit,
Quæ referas illi, somnia læta vide.
Et veniat, quæ lustret anus lectumq; locumq;,
Præferat & tremulâ sulfur & oua manu.

Quibus tum vniuersis, tum singulis facem multò clarissimam vnum hercle Martialis Epigramma prælucet, quod abs re, opinor, haud fuerit integrum huc adscribillare:

Semper manè mihi de me mera somnia narras,
Quæ moueant animũ sollicitentq; meum.
Iam prior ad fæcẽ, sed & hæc vindemia venit;
Exorat noctes dum mihi Saga tuas.
Consumsi salsasq; molas & thuris aceruos;
Decreuere greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aues, non oua supersunt:
Aut vigila, aut dormi Nasidiene tibi.

Adiice ex lib. eiusdem XI.

Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet vt somnos garrula saga tuos.

Cui addatur insuper interpretamenti vicem illud ex Festo:

Piatrix dicebatur sacerdos, quæ expiare erat solita, quam quidam Simulatricem, (lego,

Simpulatricem ex altero eiusdẽ Grammatici loco) *alij Sagam, alij Expiatricem vocant. & Piamenta etiam dicebantur, quibus in expiando vtitur.*

Eodem quoque illud pertinere facito vt memineris, de Alcumenâ ex Comicotragœdiâ Plauti:

Rectè dicit, vt cõmeminit, somniũ narrat tibi.
Sed mulier, postquam experrecta es, Prodigiali Ioui
Aut molâ salsâ hodie, aut thure comprecatam oportuit.

Quæ omnia eò facilius ac lubentius collata à nobis in commune, quò ad Plautini tam huius, quã prioris exempli intellectum planiorem concinnant viam. Neque enim aliouorsum referundam comprecationis istius cerimoniam, quàm ad malorum somniorum depulsionem; quam incredibile est memoratu, quàm efficacem ac præsentariam esse crediderint veteres, exsecrabili mehercle superstitione. cuius etiam mentionem Curculione habuimus suprà, vbi Cocus Phædromi, qui se vnicum somniorum cõiectorem faciebat, Lenoni Cappadoci super Somnio,

nio, quod in Æsculapij fano ægrotus incubans somniauerat, cõsilium quærenti consuadet, vti pacem & veniam conciliet ab Æsculapio, hoc est, numen eius Dei comprecetur ac propitiet sibi, ne maximum porrò malum somniatori eueniat scilicet, quod eidem iam-iam in mundo esse certo certius videri cupit Magirus iste Comicus, quippe per quietem sibi à Dîs Immortalibus cælitus obiectum portentumque. Vbi & hoc notabis, falsè atq; acerbè nimis Cõiectores ac Somniorum Interpretes sugillari atque irrideri à Plauto, quippe qui hominem seruũ, &, quod multo vilius, Coquum diuinitus scientem induxerit in Scenam. *Comprecari* autem nihil aliud fuerit, quàm molâ salsâ aut thure deuenerari, id est, deprecari somnia, pacemq; ac veniam à Prodigiali Ioue, Diisque Auerruncis, id est, malorum depulsoribus nullo non suppliciorum ac piamentorum genere exambire, vti ex Amphitruone & Curculione ostendimus modò: quod] Pleusidis amicam facere adhortatur Palæstrio, quò

alienum

alienum videlicet, hoc eſt geminæ ſororis eius probrum atq; amatio, cuius cauſsâ innocens ſuſpicionem ſuſtinet Philocomaſium (vt quidem omnium ille bipedum ſacerrimus Sceledro perſuadere conatur) in herilem concubinam inſontem immeritiſſimò expetat. Quò itidem pertinent ea quæ habes infrà de *Precatrice, Coniectrice, Hariolâ, atque Aruſpicâ.*

Monet ibidem denique Sceledrum Palæſtrio, vt reſipiſcat, hoc eſt, vt perſuaſionē de herilis amicæ probro conceptam deponat tandem; ſimul vti oculos orationemq́ue aliam commutet ſibi, ne, ſi id Miles ſciat, cuſtos ob ſtultiloquium capiti ac cruribus ſuis fraudem capitalem creet. Verba ſic habent:

PA. *Næ tu hercle obſecro opinor,*
Reſipiſce. ſi ad herum hæc res peruenerit, peribis pulchrè.

Senſu confragoſo, ac dictionũ ordine prorſus perturbato, quē ex Vaticano codice aliquot verbis auctiorē priſtinæ integritati ſuæ propemodũ reſtituit intimus nobis Lipſius hoc modo:

Næ tu hercle opinor magnum malum
Obsecro reperies. si ad h.h.r.p. perîsti pulchrè.

Propemodum dico. nam omnino integratam vt credam, vetat me, *Obsecro* istud, quod huicce loco quid faciat, necdum etiam quiui ad coniecturam euadere. Nihil enim ad rhombum. Vnde mihi incedit audacia, verbum illud procul cum resecratione despuerè, inque eius vicem porro, *Sceledre*, reponere. Verbi gratiâ:

Næ tu hercle, opinor, magnum malum
Sceledre reperies.

AD MILITEM.

CAPVT X.

Plauti Milite quædam restituta, alia explicata. Ab Isidoro leniter & leuiter dissensum.

SCENÆ initium illud:

Inde ignem in aram, vt Ephesiæ Dianæ laudes latas
Gratésque agam

nescio an satis legitimè conceptum putem, vereorque adeò, vt scripserit Plautus:

Plautus: *Laudes lætas*, nempe ab effectu, vel potius; quod cogitanti mihi sub manu natum est modo, *Lautas*, vt præter paronomasiæ venustatem, ad sollennem lauationem illam (quæ vetustioribus *Lustratio* dicta; etiam *Purificatio* Martiali ac Plinio) sacrificia antiquitus ac rem diuinam præcedere solitam respectum sit à Comico. Meminit harum quoque mundicierum mundissimus Poëtarum Tibullus noster, ex Cerinthi amatoris personâ Iunoni Genitali prò Sulpiciâ vota faciens huiusmodi:

Lota tibi est hodie. tibi se lætissima compsit,
Staret vt ante tuos conspicienda focos.

Rescribo ibidem, pro quod vulgò legitur: —*Iniuria est,*
Falsum nomen possidere Philocomasiū postulas.
Iniuria es.

id est, iniustè atque iniquè facis, quæ falsum, hoc est, alienum tibi nomen adsumas, te, ipsum quod es, quodque adhuc vsque fuisti, perperam inficiando dissimulans.

Sequitur Scenâ proximâ:
Quod meas confregisti imbrices ac tegulas.

Differen-

Differentiam harum duarum vocum ita constitutam habes ab Isidoro: *Tegulæ vocatæ quòd tegant ædes: Imbrices, quòd accipiant imbres*: Cui quidem herculè ego de *Imbricum* originatione assensum cõmodo, de *Tegularum* non item, atque eò minus, quòd *Tegula* priore syllabâ productâ primogenium suum manifesto inficiari videatur. Martialis quoque ita anxiè & Grammaticè verborum proprietatis retinens non fuit, vt *Tegulam* pro *Imbrice* vsurpare refugerit illis versibus:

Plurima quæ posset subitos effundere nimbos
Muneribus venit tegula missa tuis.

Illud vero ibidem;

Dato excruciatum me, egomet me dedam tibi.

concinnius futurum videtur meliusq; cohæsurum sibi, si legatur:

Dato me excruciatum, ni egomet me dedã tibi.

Excruciatum. i. ad excruciandum.

Emendo sub eiusdem Scenæ catastrophen.

Nimium festinam mulier operam præbuit. ἀντὶ τοῦ *Festina*, id quod omnia omnium exemplaria occupauit hactenus.

AD MILITEM.

CAPVT XI.

Ephesiorum elegantia. Vmbrorum & Apulorum rusticitas. Plautus à corruptelâ defensus. Ad omnes res frequens comparebo. *Scripturæ veteris contrà Turnebum & Lambinum assertio.* Ceraria. Clementer non potest. *Victorij error.*

VENTVM est ad Scenam, omnium (quæ quidem extrà Amphitruonem in Poëta nostro leguntur) longissimam pariter ac festiuissimam. neque mirum, tantâ temperantiâ inter seria ac ineptiarū vrbanitates moderatam. Indidem hoc primum delibabimus, ex personâ, quantum est, hominum lepidissimi Senis prolatum:

Post Ephesi sum natus, non in Apulis, non sum in Vmbriâ.

Quod enim Ephesi se natum gloriatur, credo ideò esse, quod ciuitas ea in elegantiis facetiisque cumprimis dedita; contrà morem Vmbrorum & Appulo-

Appulorum, qui rustici, illepidi, subidiq; atq; inficeti habebantur. Quod verò ad crapulam ingluuiemque & helluationem earum nationum exemplum istud retrahere coneris, minus nihilo est. neque hîc aliquo modo locum eiusmodi animaduersio habere potest.

Pergit ibidem commoditatesque ac venustates suas apud Pleusidem ac Palæstrionem prædicare Periplectomenes. è quibus illud pol vereor, satis expolitum vt siet:

Ita apud omnes comparebo tibi res benefactis frequens.

Nam quæ obsecro Latinitatis species est illa? *Apud omnes res.* Mihi certè haud fit verisimile, Plautum vnquam vel ioco vel seriò eiusmodi phrasim in Scenam Romanam detulisse. Apage hoc schœnum, has sordes inquam, à politissimi omnium Poëtarum munditiis. Potius est, vt ita locum reconcinnandum putemus:

Itad' ad omnes comparebo tibi res, &c.

hâc sententiâ & ordine. Ita ad omnes res frequens comparebo tibi comitate

& benefactis meis, hoc est, *frequentabo* (vti in Cistellariâ est) *vtilisq; habebor*, faciamque, vt opera mea omnibus in rebus appareat, omnique adeò in tempore præsto sit tibi. Sic dixerat Pleusides anteà eiusdem Senis hospitis sui erga se benignitatem benigniter collaudans:

At quidem illuc ætatis qui sit, non inuenies alterum
Lepidiorem ad omnes res, nec qui amicus amico sit magis.

Caussa deprauationis ex ignoratâ D consonantis interpositione primitus, vti opinor, nata. quam syllabæ sustinendæ, hoc est, hiatus vitandi, vocaliumque dirimendarum gratiâ, in rem suam excogitasse videtur Antiquitas, vti cuiuis passim in Prouocabulis illis *Med'*, *Ted'*, aliisque talibus manifesto est animaduertere. nisi, *Apud omnes*, forte *homines* subaudiendũ putemus. quam si admittimus constructionem, quid porrò τοῦ *Res* futurum sit nescio, cuíve aut personæ aut rei particula illa aptanda denique.

Haud satisfacit ibidem nobis illa doctissimi

doctiſſimi Turnebi lectio, huic licet iampridem adſtipuletur popularis eius Lambinus:

Iampridem quià nihil abſtulerit, ſuccenſet geraria.

Neque enim video ſanè, quânam ratione à verbo *Gerere* vocabuli huiuſcemodi compoſitio formari queat. Itaque ſcripturam veterem defendere ac retinere placet: *Ceraria* inquam, prò eâ muliere, quæ cereos ad ſacrificiorum ſollennitates rite patrandas ſuppeditare conſueuit.

Tum patricam clementer non poteſt, quin munerem.

Cuius loci hanc putat eſſe ſententiam Lambinus: Tum non poteſt fie- „ ri, quin patricam clementer mune- „ rem, id eſt, aliquo munere donem. In- „ eptiſſimè. *Clementer* enim non ad *Munerem*, ſed verò ad *Non poteſt* referundum; vt quum dicimus:

Honeſtè non poteſt, quin hoc faciam.

Narrat ibidem Pleuſides:

Si hoc parauiſſent, homines eſſent minus multi mali, [poſteà
Et minus audacter ſceleſta facerent facta, &

Qui probi homines essent, esset his annona vilior.

Victorius lib. XIV. cap. XXI. Variarum suarum, post horum versuum considerationem subdit denique: *Sententiam grauem ac penè Tragicam in humili re terminauit: nam tantâ immutatione rerum effici, vt annona vilis sit, ridiculum est.* Imò vero tu, bone Victori, ridiculus potius, qui Plautinam sententiam in illustri positam, adeò ridiculè interpretari in animum induxeris tuum. Cæterùm adeundi super hac re Commentarij Lambini.

AD MILITEM.

CAPVT XII.

De priscâ apothecarum ratione, diligentißimâ inuestigatione quæsitum. Demittere, deripere amphoram. *E Plauto vox superflua eiecta. Idem ex Horatio & Columellâ illustratus.* Bacchabatur hama, casabāt cadi.

REPONO quamuis audacter Scenâ proximâ, vbi Palæstrio cum Lu-

crione Sceledri suppromo sermonem serens inducitur:

Dimisit Nardini amphoram cellarius. ciectâ superfluâ & reptitiâ voce illâ *Vini*, quippe à malâ manu, hoc est, à glossâ, quam & Latinæ Linguæ elegantia, & (quod coniecturæ meæ cumprimis firmandæ) Senariorum modulus spernit segregatque à se procul. *Dimisit* verò inibi esse quid dicam? an (quod Interpres censet) *Emisit è manibus, seu neglexit, seu non recondidit, siue incustoditam reliquit?* Gerræ germanæ, atque ædepol liræ liræ. Nam quod idem, quum lectionem eam suspectiorem haberet, alteram vicariam & quasi suppromam illi de suo subdidit: *Deprompsit*, ferri quî pote? Mihi itaque causa visa est nulla, quò minus: *Demisit*, legendum pronunciarem: cuius porrò leuiculæ mutationis caussam iam inde à prisco illo sæculo altius repetendam autumo, quo testas, id est cados, dolia, amphorasq; cortice & pice supernè obstrictas, signoque herili obsignatas probè in editiore vinariæ cellæ loco conlocabant veteres: vnde necessum erat desummo

 petere,

petere, ſi quis *Corticem adſtrictum pice* (vti apud Horatium eſt) dimouere ſe cuperet. Atque hoc illud eſt, quod idem Coruinum hoſpitio accepturus *Teſtam ſuam* Maſſico effertam ad languidiora vina promenda deſcendere ad ſe, hoc eſt, demitti (vt quidem hic noſter loquitur) deſuper ex apothecâ imperat Odâ illâ:

O nata mecum Conſule Manlio,
Seu tu querelas, ſiue geris iocos,
Seu rixam & inſanos amores,
Seu facilem pia teſta ſomnum;
Quocunque lectum nomine Maßicum
Seruas, moueri digna bono die,
Deſcende Coruino iubente
Promere languidiora vina.

Facit huic enarrationi locus Columellæ libri I. cap. VI.

Apotheca rectè ſuperponentur his locis, vnde plerunque fumus earum exoritur: quoniam vina celerius vetuſteſcunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt.

Vnde etiam rectè in Horatio alibi emendatum apparet:

Parcis deripere horreo
Ceſſantem bibuli Conſulis amphoram.

prò

prò quo perperam antea exemplaribus nostris obrepserat, *Diripere*. Neque aliò mehercules referunda, quæ deinceps argutaturus bellus iste Sceledri suppromus: *Bacchabatur hama* (ità cum Turnebo legi placet) *casabant cadi*; quàm ad vorsurã illam, quam dixi, antiquitus factitatam. vt sit sensus: *Hama*, id est, *bilibris aqualis illa* (ita enim ex superioribus interpretor) propter cados astituta proximè, *Bacchabatur*, id est, Baccharum ritu temetum in se auariter ingurgitantium, vino ex cadis siue œnophoris meâ comitate largiter affatimq; defuso, decies sæpe in die cõplebatur. quæ res casantes, seu casabundos, id est, cernuum in morem nutantes ac pronos prorsus inclinatosque (proinde ac si ebrij forent) cados efficiebat. Quid mirum? quum de pleno promtum, id est, è cado in vrceum (hoc enim *Hama* est) florem Liberi depletum exanclatumque intelligat Lucrio; exemplo Sosiæ idem pariter de se in Amphitruone verniliter profitentis:

Cadus erat vini, inde impleui cirneam.

Neque enim cadus totus ori, opinor,

aut labris appositè satis ad potandum poterat aptari: cirnea poterat, & quidem commodissimè. Ita enim transfundi merum solere, testimonio nobis sexcenta veterum Scriptorum loca, in quibus & illud Horatij:

Inuertunt aliphanis vinaria tota.

Ad huius itidem Scenæ illustramentũ pertinet illud Sticho, de puero, huic Suppromo non nimium absimili:

Næ iste ædepol vinum poculo pauxillulo
Sæpe exantlauit submerum scitißimè.

Locus Scenæ sequentis:

Quiescas cætera, nî ludificata lepidè
Ero, culpam omnem in me imponito.

is inquam locus citatur à Nonio Marcello in *Ludificata*, sed turpiter corruptâ ac delumbatâ scripturâ. Itaque hinc emendetur.

AD MILITEM.

CAPVT XIII.

Ioci cuiusdam argutiola, quæ in ambiguitate vocum; Est, *&*, Volturio, *consistebat, declarata.* Quia enim. *Lucillius apud Noniũ correctus.* Tamen *in fine orationis positum.* Scelus viri. Scelus pueri.

QVID verò argutius dicto illo Palæstrionis in Scenâ, cui principium: *Iámne est ante ædes circus*; &c. qui, quoniam dixerat Milphidippa, ridiculâ adulatione in laudes gloriosi illius, quem labiis ductabat, εἰρωνικῶς effusa:

Ecquis dignior fuit homo qui esset?

statim porrò verbis ancillæ, à Milite ad Spectatores voce submissâ auersus, vrbanissimè subiungit, παρὰ προσδοκίαν risum aucupans:

PA. *Non hercle humanum est ergo.*
Nam volturio plus humani credo est.

Cuius ioci argutiola omnis in ambiguitate sententiæ consistit. ambiguitas

verò in vocibus illis duabus: *Est*, &, *Volturio*. Nam quum videatur dicere; Volturio plus humani, siue humanitatis inesse, quàm Glorioso huic; aliud longè diuersum falsè significat, primùm in Casu *Volturio* Comicè ludos faciens, qui tametsi pro datiuo positus existimari possit, tamen nominandi casus intelligendus, vt sit, *Volturio, Volturionis*. sic *Lanio* & *Lanius*, *Longurio*, item *Longurius*, aliaque sexcenta ad hanc faciem promiscuè vsurpata antiquitus. iam verò *Est* haud quidem pertractatè aut simpliciter, verum pro *Edit* positum accipere debemus. innuitque *Volturionem*, seu *Volturium plus humani*, id est, humanæ carnis (interim dum in cadaueribus passim depascendis deditus est solens) rostro vellicatim carpere, ac ventri crudiuoro præbere pabulum, quàm Pyrgopolinicen. sententiâ nimiæ verisimilitudinis ergò quamuis vrbanâ, vel ridiculosâ potius.

Scenâ proximâ, vbi de Philocomasij sorore Miles ex Palæstrione scitatur:

——*Ecquid fortis visa est?*

τὸ *Fortis* idem cum formosâ valere autumat

tumat Nonius, hoc loco vtique; non item apud Lucillium, vnde exemplum idem producit tale:

Omnes formosi fortes, tibi ergo improbus esto.

sensu prorsus insenso; neque sartâ tectâ numerorum lege. Proinde inclino, vt legam, distinguamque:

Omnes formosi fortes: ergò improbus es tu.

id est, instrenuus, malus ignauusque, quippe deformis, ac de Gorgonij Pythonis prosapiâ.

Scenâ porro, quæ incipitur:

Sequimini, simul circumspicite.

vbi legitur:

Mi. *Quid agis noster architecte?* Pa. *Egóne architectus? vah.* Mi. *Quid est?*
Pa. *Qui enim non sum dignus præ te, vt figam palum in parietem.*

mirum, nî corrigendum sit:

Quia enim non sum dignus, &c.

Hæc enim duo *Quia* &, *Enim*, ferè coniungi ac conciliari videmus in hoc Scriptore.

Antequam receptui canam, illud oscitanter prætereundum nó est, coniunctionem *Tamen*, nouo modo in fine orationis Scenâ antepenultimâ à

Plauto positâ ex personâ Palæstrionis:

Bene quæso inter vos dicatis, & mihi absenti tamen.

prò quod nos opinor diceremus: *Quãnis absenti.* nec hîc modò, sed & Amphitruone, vbi vxoriis votis virum rogitat Alcumena:

Vt cum absim me ames, me tuam absentem tamen.

Item Casinæ Prologo:

Sciens eius mater, ei dat operã, absenti tamen.

Vnde manifestò dilucet, Poëtæ nostro hoc loquutionis genus sanè haud displicuisse.

Illîc etiam sub exodium Fabulæ:

Verba mihi data esse video, scelus vir Palæstrio.
Is me in hanc pellexit fraudem.

potius rescribendum videtur:

Scelus viri Palæstrio.

qua phrasi vix alia Comico nostro vsitatior. vt vel Persâ:

Scelus tu pueri es.

neque dissentaneâ ratione idem alibi:

Delitiæ pueri, Monstrum, Flagitium hominis.

AD MERCATOREM.

CAPVT XIV.

Sententia elegans in Plauto restituta. Commulcium *cum auctore suo explosum.* Mussare. *Duûm.* *Ennij Fragmentorum restitutio, alterius lacunæ etiam expleta.* Præuorteris, *perpessionis significatu positum.* Enicare suspiritus. Animam vortere. Electare.

PERGAM turbare porrò Plautini Tranionis exemplo, nam (vt inquit ille)

Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit.

Magis bono cum iure tamen; neque vt quempiam ludos faciam, proinde vt ille sator sartorque, quãtum est, scelerum, verùm, quod potiùs spero, vt, quæ prius confragosa & aspera tactu studiosis fuere, hæc ipsa meâ quantâcunque comitate faciam, plana & facilia vt fiant. in quem numerum adscribi potest & illud è Prologo Mercatoris Plau-

ris Plautinæ; vbi patris aſſiduas aduerſus ſe expoſtulationes commemorans adoleſcens inter cætera his etiam verbis vſum perhibet:

Conuicium tot me annos iam ſi paſceret
Quod niſi puderet, ne luberet viuere.

Sic enim editum à Camerario, perplexè ſatis. & melius Lambinus, qui veterum Codicum (vti ipſe fatetur) fidem ſequutus hanc nobis edolauit ſcripturam:

Conuicium tot me annos iam ſic paſcere.

quæ correctio, incredibile eſt memoratu, quantæ lubentiæ fuerit mihi, eò lubentiori, quò propius hæc ipſa veteris coniecturæ noſtræ veſtigiis accedit: Ea verò ſic habet:

Conuicium tot me annos iam ſe paſcere
Quod niſi puderet, ne luberet viuere.

Locum integrum deintegro adſcripſi, quò clarius Lectori noſtró diluceat, punctum, quod poſt τò *Paſcere* collocauit Lambinus, expungendum, & prò *Sic*, reponendum *Se*, ſenſu perſpicuè plano, vt dicat adoleſcens, etiam hoc ſibi per ſummam contumeliam indignè obiectum à Patre, ſe conuicium,

cium, hoc eſt, opprobramentum & ipſi & generi ſuo viuere, ac ſine ſpe bonæ frugis fruges paternas inutiliter abſumere ac depaſcere: cuius niſi maturè pudere occipiat aliquando, indignum eſſe adoleſcentem, qui vitam colat. *Conuicium* autem κτ̀ συνθετον poſitum, id quod etiam obſeruatũ Lambino, quanquam ille *Commulcium* ſuum ſuccidaneum fecerit Plauto.

Narrauerat idem antea:

Summo hæc clamore, interdũ muſſando loqui.

Ita enim Lambinus, neque diſplicet. & quoniam audaculi eſſe occœpimus ſemel; binas Ennij auctorirates per cauſſam acceſſitas, in medium hoc loco proponere quid vetat? haud abnuente, vti ſpero, Feſto Pompeio, cui eæ ipſæ, in verbo *Summuſſi** à Fuluio Vrſino liberali cauſâ cõdonatæ: mendoſiſſimæ vtræque, altera etiam cum lacunâ. Exemplum vide:

*Ex Schedis Seru.

Non poſſunt muſſare boni; qui facta labore
Nixi militiam peperere.

Quæ poſtrema pol ego itá lubenter legerim ac diſtinxerim:

——*Quæ facta labore*

Nixi

Nixi, militiæ peperere.

Militiæ, id est, belli siue in bello; significatu apertissimo, qui anteà nullus indidem electari poterat. nihilque eapte sententiâ verius.

Ad alteram veniamus:

Mussare item prò Murmurare. Ennius lib. x.

Spectabat virtutem legionis
Siue spectans si mussaret, quæ denique causa
Pugnandi fieret aut duri laboris.

Eam sarcire ac redintegrare visúm hâc formâ:

Suspectans, si mussarent; quæ denique caussa
Pugnandi fieret, aut duri pausa laboris.

Vbi in vocibus, *Caussa*, &; *Pausa*, *παρονομασίαν* vides oppidò venustam, tum Enniani Genij elegãtiâ dignissimam.

Scenæ prioris initio seipsum & pedes suos ad cursuram hortans Acanthio ita loquitur: *Agedum Acanthio,*
Abige abs te lassitudinem, caue pigritiæ præuorteris.

id est, caue à pigritiâ præuorsus fueris. est enim præteritum perfectum ἀπὸ τ. *Præuorso*; pro *Præuortor*, quomodo & simplex eius *Vorto*; sollenne & frequens priscæ ac Latinæ ætatis scriptoribus.

Ibi

Ibi verò: *Simul emicato ſuſpiritus.* (ita enim cum Apuleio malim, quàm cum Lambino, *Suſpiratus*) τὸ *Emicato* coniectore indigere videtur; & fortaſſe ſcribendum; *Enicato ſuſpiritus*, id eſt, crebras iſtas atque identidem repetitas anheli pectoris reciprocationes (vitium aſthmaticis peculiare) facito enices ac pervincas animi inuicti peruicaciâ ac firmitudine. Illud autem:

Vix ſuffero hercle anhelitum,

idem eſt cum illo quod mox habituri infrà: —*Perij: animam nequeo vortere.* id eſt, recipere anhelitum, nempe vt ſurſum aſcendat, emicetque quaſi in pectus, vt idem loquitur alibi.

Sub eiuſdem Scenæ finem, vbi hero ſuo minori prædicat Acanthio;

A C. *Quin eâ huc præcucurri gratiâ.*
Ne te opprimerei imprudentem, atq; electaret.

nodum in ſcirpo quæſiuiſſe videtur Interpres; qui lectionem eam ferri non poſſe prò comperto adſeuerare, atque, *Eluctaret*, in eius locum ſubſtituere eſt auſus. Temerè ſanè atque incogitanter. *Electaret* enim ſincerum & probum, id eſt, exterebrando elicere

atque (vt alibi loquitur) in quæstione exsculpere insisteret. estque frequentatiuum à composito verbo *Elicio*.

AD MERCATOREM.

CAPVT XV.

Agere satis, *pro* Satagere; Valere, *pro* Sapere, *posita*. Inepte facere. Fores Elogiorum implere. Ad istam faciem. Consulere, & Respondere, *relatiua*. Quî potius, quàm? De lanificio neminem metuo. Vnâ ætate quæ sit.

SCENA tertiâ Demipho senex somniũ suum exponens inducitur:

Miris modis Dii ludos faciunt hominibus,
Mirisq; exemplis somnia in somnis danunt.
Velut ego nocte hâc, quæ præteriit, proximâ
Insomnis egi satis, & fui homo exercitus.

Egi satis, inuersum per μετάθεσιν pro *Sategi*, ἀπὸ τοῦ *Satagere*. quomodò item Catonem illum Censorium eloquutum comperior apud Charisium istiusce Fragmenti laudatorem:

Iam apud vallum nostri satis agebant.

Atque eodem exordio item Dæmonem nescio quem in Rudente vtentem facit:

Miris modis Dii ludos faciunt hominibus,
Mirisq; exemplis somnia in somnis danunt.
Ne dormientes quidem sinunt quiescere.
Velut ego hac nocte quæ præcessit proximâ
Mirum atque inscitum somniaui somnium.

Sequitur proximâ Scenâ, ex personâ Acherontici illius, vieti, edentuli, ac decrepiti Senis cano capite iuuenantis, hoc est, ætate alienâ nequitias ac libidines facientis.

DE. *Imò bis tantò valeo, quàm valui prius.*

Valeo, scilicet, ab animo, hoc est, bis plus sentio ac sapio quàm olim,

Iucundum cum ætas florida ver ageret.

Pergamus ad illud Scenæ sequentis ex eiusdem Senis personâ nimisquàm lepidum:

Quippe haud etiam quicquam ineptè feci, amantes vt solent.

in eandem quoque sententiam Catul.

Ni tu quid facias ineptiarum.

Ait idem posteà:

Impleantur meæ fores eclogiorum carbonibus.

Implere cum genitiuo positum, ne quis,

 Eclogio-

Eclogiorum istud à *Carbonibus* regi falsò persuadeat sibi. Sic passim veteres. item Lucretius:

Et ararum compleuerat vrbes.

deniq; ipse Plautus suprà Menechmis:

Ea omnia fecit palam
Parasitus, qui me impleuit flagitij & formidinis.

Sequitur in Plauto:

Senex est quidam, qui illam mandauit mihi,
Vt emerem ad istam faciem.

Loquutio perelegans, atque ad eandem faciem ab eopse vsurpata in Cistellariâ. Sic enim inibi Silenium animi ægra, amore saucia:

Ad istam faciem est morbus, qui me, mea
Gymnasium, macerat.

Ventum ad Scenam proximam, in quâ ita Eutychum sodalem suum interrogat Charinus, amore corruptus oppidò, ac vix compos sui:

CH: *Te nunc consulo,*
Responde; quo leto censes me, vt peream potissimum.

Antiquè & propriè. Vtrunque enim tam, *Consuli*, quàm *Respondere* Iureconsultorum. quæ duo singulari item versu

versu coniunxit Horatius:

Ergo consulere, & mox respondere licebit?

Itaque denuò mox *consulit* Eutychus, *respondet* Charinus, moram amori suo, & (quod rei caput) ab æmulo ac riuali patre in re voluptatum præuorti, nimis sanè immoderatè metuens adolescens, amantes vt solent: (Scitum enim Sallustij illud: *Animo cupienti nihil satis festinatur*)

EV. *Visne eam ad portum?* CH. *Qui potius, quàm voles.* EV. *Atque exigam Mulierem pretio?* CH. *Qui potius, quàm auro expendas.*

vbi amicus noster legendum censebat: *Quin potius*, nimis pol aduersus animi mei sententiam. Etenim Camerariæ scripturæ suffragatorem me profiteor lubens. sed tamen in leges meas (ne quis erret) vt videlicet cum interrogandi notâ scribatur in posterum hoc modo: *Quî potius quàm voles?* id est, Quî verò, aut quâ caussâ potius eas; quàm voles? quasi dicat: An verò non iusta causa est, quò *Dædaleo ocyor Icaro* voles potius, quàm eas? Idem de sequenti hemistychio dicendum:

Quî potius, quàm auro expendas?

Consimile quoque loquendi genus hîc succurrit è Casinâ:

ST. Soleas. CH. Quî quæso potius, quàm sculponeas,
Quibus batuatur tibi os, senex nequissime?

Scenâ sequente, quo loco, an tenue subtemen nere possit, quærenti Lysimacho gloriosè de se promittit Pasicompsa:

De lanificio neminē metuo, unâ ætate quæ sit.

id est, quantum mehercule ad lanificij laudem attinet, nemini (sic enim veteres loquebantur) mulieri concesserim, quæ quidē sit ætate, quâ ego sum, hoc est, eiusdem ætatis mecum, nimirum puella. quandoquidem certum est grādiores natu artis eiusce opificio iunioribus præstare. *Vt quibus, usu Assiduo, ipsa ætas longa, magistra fuit.*

ita enim locum eum interpretandum facile ex iis, quæ Lysimachus deinceps subiungit, videre est:

Bonam hercle te & frugi arbitror, maturâ iam inde ætate.
Quoniam scis facere officium tuum mulier.

Quanquam & aliter explicari posse video,

vidēo, hoc modo: *Vnâ ætate quæ sit.* id est, quæ quidem viuat. *Ætatem* enim, pro, *Vitâ*, passim à veteribus accipi, nemini ignarum arbitror. Sed alterum illud melius.

AD MERCATOREM.

CAPVT XVI.

Habere pro cibo. ÆDES PVLCHRE ÆDIFICATÆ. Pellis & Oenophorus *Persii, eadem cum Plauti nostri* Zonâ & Ampullâ. Etiámne mutis? Etiam loqueris? *Petronius in transcursu emaculatus.*

EADEM in Comœdiâ verè & scitè nimis amantium sententias exprimit sententia illa:

Nam qui amat, quod amat, si id habet, id habet pro cibo,
Videre, amplectier, oscularier, alloqui.

Quam tacitam præterire mihi sanè relligio fuit, ob raram dicendi Venerem, quâ aliâs idem tamen vsus haud semel. Verbi gratiâ:

——Qui pro cibo habeas te verberari.

Pro quo, si bene commemini, perperam in nostris exemplaribus, *Verberare*, impressum legitur.

Scena porrò illa, quæ initiũ habet:

Diuum atque hominum quæ spectatrix, &c.

desperati amoris affectibus abundat. In eâ scita pol nimis & lepida visa nobis illa ædium, in quas amicam suam deductam cupiẽtissimis auribus à Sodali suo acceperat Charinus, cõmendatio. videas ab homine amatore esse. nam quid obsecro vrbanius?

CH. *Dic igitur, vbi illa est?* EV. *In nostris ædibus.* CH. *Ædes probas,*
Si tu vera dicis, pulchrèq; ædificatas arbitror.

Allusum enim ad illam venditionis Formulam; cuius Officiorum III. ita commeminit M. Tullius:

Quod si qui proscribunt VILLAM BONAM, BENE QVE ÆDIFICATAM; *non existimantur fefellisse, etiamsi illa nec bona est, nec ædificata ratione.*

Adiice huic Catonis locum de re Rustica:

Patremfamilia villam rusticam BENE ÆDIFICATAM *habere expedit.*

Vnde in procliui posthac fuerit intelligere,

telligere, quid sit, quod ÆDES PVLCRE ÆDIFICATAS, prædicet Charinus, id est, *cum ratione*, vt quidem explicat Cicero.

Eâdem Scenâ apparatus viales recensentur, atque in his *Zona* & *Ampulla*, quibus instructus iter porrò suum exsequi cogitabat Charinus. sed præstat verba ipsa adscribere:

CH: *Zonam sustuli.*
EV. *Eam rem nunc exquirit intus.* CH. *Iam machæra est in manu.*
EV. *Nam si eò te nunc introducam?* CH. *Tollo ampullam, atque hinc eo.*

cui consimillimus locus Persianus:

Iam pueris pellem succinctus & œnophorum aptas.
Ocyus ad nauem.

Pellem enim hîc esse, quod in Plauto *Zona*; & *Oenophorum*, quod *Ampulla*, si non verum, at certè aliquam veri speciem habere videtur.

Mira autem decori obseruatio sub eiusdem Scenæ exodium comparet, vbi Charinus (cui res omnes pro spisso procedere videbantur) amoris inquam vitio magis quàm suo, ad amicam in

ædes festinè nimis introire gestiens, Sodali illi suo, ponè subsequendo, calces fingitur deterere. Sic enim illìc:

EV. *Sequere sis.* CH. *Sequor.* EV. *Clementer quæso, calces deteris.*

vel hinc verum esse vt videas eroticum illud nostrum de Plauto expressum:

Quicquid agit, properat omnia, quisquis amat.

Habes exinde Scenâ vltimâ ex personâ Eutychi stomachantis, senemq́ue Demiphonem argutantem contrà meritò concastigantis, huiusmodi oratione: *Etiam loquere laruatu?* id est, tene verò cum tantâ esse impudentiâ, vt post nefarium adeò atque indignum facinus flagitiumq́ue perpetratum etiam loqui insuper aut hiscere audeas contrà; qui si decem linguas habeas, mutum esse addecet? Sic idem alibi in re simili: *Etiámne mutis?* item Persa: *Scelerate, etiam loqueris?* Denique Petronius in Satyrico:

Sceleste, & etiam loqueris?

tametsi locus ille mendi suspicione non vacet, ita fortasse emaculandus:

Sceleste, at etiam loqueris?

AD PSEVDOLVM.

CAPVT XVII.

Fugito *frequentatiuum à* Fugo *non autem à* Fugio *apud Plautum.* Saliſſatores. Commouere Sacra. *Correctus Plautus. Idem illuſtratus, explicatus.*

PLAVTI *mihi Pſeudolum cōmentari lubet:*
Inde mihi principium capiam ex eâ Comœdiâ:
Studete hodie mihi; bona in Scenā adfero,
cum bonâ ſpe fore, vt quemadmodum Prologus ille cum Quiritibus rem habens, eoſdem eo nomine commendat potiſſimum, quod ipſi boni, etiam

Porrò oderint malos, & Lege & Legionibus
Hoſce fugitarint ſemper; ſucceſſis bonis;

itidem & ego partem tenebrarum & macularū fugitem ac diſcutiam, quas diutina temporis iniuria, vel barbarorum imperitia potius, eidem Fabulæ iam inde à Gothicis vſque tempeſtatibus offudit. Sed enim huic etiam claritudini nebula quædam aſperſa, & notanda caligo, id eſt, inſolentia frequentatiui

quentatiui eius *Fugitare* inquio, non quidẽ à simplici *Fugio*, vt ferè alias, sed verò nouo more ἀπὸ τοῦ *Fugo* deriuati.

Pergit ibidem festiuus iste Imperator Histricus, ita porrò Fabulam, quæ in manibus est, à Leporum & facetiarum copiis commendans:

Vbi lepos, ioci, risus, vinum, ebrietas decent,
Gratiæ, decor, hilaritas, atque delectatio.
Qui quærit alta, is malum videtur quærere.

Quorum verborum Lambinus hunc ordinem & sententiam esse sibi, non etiam nobis persuadere visus iã olim: *Quo in loco lepos, ioci, risus, vinum,* &c. *decent. qui quærit alta in eo loco is malum videtur quærere.* Hactenus ille, sine lepore omni & gratiis. sed enim imposuit homini multò sollertissimo corruptæ scripturæ infacetia, in ipsâ sentẽtiæ clausulâ subdolè fallentis. quam ita me Chirone pristinæ tandẽ sanitati restituas licebit:

Qui quærit alia, is malum videtur quærere.

sensu & aperto & eleganti. Quid enim probabilius, quàm eum hominẽ malum & mærorem quærere, suoque iumento accersere sibi, qui alia quæritat aut consectatur, quàm *Leporem, iocos, risus,*

sus, vinum, & cætera, quæ ritè atque ordine prius à Plauto commemorata.

Scena I. colloquentes inter se Calidorum ac Pseudolum facit, his tandem verbis:

C A. *Heu.* P S. *Heu id quidem hercle, ne parsis dabo.*

Vbi notandum, primum illud, *Heu*, in excusis priscæ monetæ codicibus claudere versum, qui hunc præcessit, elidique à voce, *Tibi*, hoc exemplo:

P S. *Quid faciam tibi?* C A. *Heu!*
P S. *Heu? id quidem tibi hercle, ne parsis, dabo.*

Sequenti ergo versui infarciendum τὸ *Tibi*; quò Senarij etiam ratio habeatur, vti demonstrauimus modò.

Habes ibidem:

Atque id futurum vnde vnde dicam nescio,
Nisi quia futurum est, ita supercilium salit.

Quod quidem Prouerbium à superstitiosis illis *Salisatorum* hariolationibus natum autumo, de quibus ad hunc modum Isidorus lib. IIX.

Salisatores vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum, seu triste significari prædicunt. Ad hæc omnia pertinent & ligaturæ

exsecrabilium

exsecrabilium remediorum, quæ ars Medicorum condemnat, &c. id est, *Fascina.* Neque his dissentanea in Polycratico suo Ioannes Salisberiensis, quem vide. Eòdem porrò referundum & illud Asinariæ:

Ergo mirabar, quod dudum scapulæ gestibant mihi,
Ariolari quæ occœperunt esse sibi in mundo malum.

Sequitur lineâ interiectâ:

Scis tu quidem hercle, mea si commoui Sacra,
Quo pacto & quantas soleam turbellas dare.

Interpretandum de sententiâ Seruij scribentis ad Virgil. illud Æneid. IV.

Qualis commotis excita sacris
„ *Thyas.* *Commotis sacris* ideò dixit,
„ quia in Sacrorum renouatione com-
„ mouebantur simulachra, vnde Hora-
„ tius:

Non ego te, candide Bassareu,
Inuitum quatiam.

„ quod ad Trieterica, id est, triennalia
„ Bacchi pertinet. Ea enim Sacra ter-
„ tio quoque anno innouabantur. Sanè
„ sciendum ὄργια apud Græcos dici Sa-
„ cra omnia, sicut apud Latinos *Ceremo-*
„ *niæ* dicuntur, sed iam abusiuè *Sacra* Li-

beri, Orgia vocant, vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est »
furore, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id est, à monti- »
bus. Hactenus Seruius. Quanquam
& ad Catonianas illas *cōmotiones in Sacris*
allusum videri possit. verbi causâ:
*Priusquam porcum fœminam immolabis, Iano
struem commoneto sic:* IANE PATER
TE HAC STRVE COMMOVEN-
DA BONAS PRECES PRECOR.
Et mox: *Ferctum Ioui moneto, & mactato sic:*
IVPPITER TE HOC FERCTO OB-
MOVENDO, &c. Quæ coniuncta
Struferiū efficiunt. vnde *Strufertarij* apud
Festum. Repono inibi sub finem:

Ps. *De istac re in oculum vtrumuis con-
quiescito.*

CA. *Oculum vtrum, an in aurem?*
pro, *Anne aurem?* Veteres enim formis
excusi *Anne in aurem* disertè nobis re-
præsentant.

A D

AD PSEVDOLVM.

CAPVT XIIX.

Male habiti. Male conciliati. Bene & pudicè habere. Colere, *absolutè positum*. Vino se deuincire. Luere. Reluere.

SCENA II. Leno familiares suos multis malis verbis ac verberibus increpitans; acriterque, primùm vniversos, mox singulos prò imperio herili inclamans inducitur hoc exordio:

Exitè, agite, ite ignaui, malè habiti, & malè conciliati,

Malè habiti, id est, damnosè imò (vt Catullus fabulatur) *magno cum pretio atque malo* alti eductique mihi. ne quis *Male habitos* forte, prò strigosis & macilentis Ballionem hoc loco vsurpasse, inscitè calumnietur. Sic noster alibi:

Bene ego & pudicè hanc domi habui meæ.

id est, alui atque educaui. Idem de *Male conciliatis*, qui sequuntur, dictum velim, nempe ἀντὶ τοῦ *Magno*, id est, carè & cum dispendio herili coemtis ac comparatis mihi, accipiundũ. vt contra:

tra: *Bene ac pulchrè conciliare*, prò Vili emere ac præſtinari, iidem illi veteres dictitabant. Conſule Donatum ad illud Terentij ex Eunucho, de hoc Plautino, vt videtur, loquendi genere adumbratum:

Fugitiue prodi, malè conciliate.

vbi omnem conuentionem *Conciliationem* dici teſtatur. credoque peruulgatum in improba, nequam, malæque frugi mancipia herile conuicium, hoc eſt, ſeruile opprobramentum fuiſſe.

Quibus niſi ad hoc exemplum vtor, non poteſt vſurpari vſura.

Quod omne δεικτικῶς dictum accipio. Videtur enim hoc dicens, eos monumentis bubulis, hoc eſt, ſcuticâ & tergiño ſuo (vti ipſus vocat poſtea) officij quemque ſui inter iurgandum obiter commonefeciſſe ſingulos. cuius rei coniecturam ex proximè ſequentibus facio, vbi eoſdem non homines, ſed aſinos, id eſt, verberones ac vlmitribas contumeliosè appellaturus; credo, propter indomitam ac contumacem in plagis ſufferendis peruicaciam, communem iis cum hoc bruto & pla-

b gigero

Sed ſcio, tu oleum haud magni pendis, vino te Deuincis.

Idem loquendi modus apud conterraneum Plauti Propertium:

Me iuuat & multo mentem vincire Lyæo.

quamuis contrà rationem (vt vides) etymi eius nominis, ἀπὸ τοῦ λυεῖν deducti. Vnde & Latinis *Luere* eſt Soluere, itẽ Reluere, Reſoluere. Vide Feſtum.

AD PSEVDOLVM.

CAPVT XIX.

Cor durare. *In Catullo vetus coniectura noſtra corroborata.* Pietatem amori præuortere. Argentata querimonia. *Hemiſtychia duo Plauto vindicata.* Mina exta. Minæ oues.

AIT Scenâ III. Pſeudolus, herum ſuum minorem argentariâ inopiâ excruciatum conſolans: *Cor dura*, id eſt, animum obdurato, hoc eſt, vti obdures facito. *Cor* enim accuſandi caſus. vnde & nobis audacia aliquando inceſſit, ad hiatum tollẽdum & dirimen-

das vocales in Scazonte illo Catulliano emendandi :

At tu, Catulle, te obstinatus obdura.

prò quod nonnulli, *Catulled' obstinatus*, alij *Destinatus* defendunt, coniecturæ, vti opinor, melioris inopiâ. Est ibidem:

Sed quoniam pietatem amori video tuo prævortere.

id est, antecedere, ac pietatem te ponere atq; habere ante amorem tuum; quâ loquẽdi formâ vsus & Mercatore:

Quia mœrores mî anteuortunt gaudiis.

& alibi compluries.

Ait ibidem Ballio, lenonium in morem vorsans ac ludos faciens inanilogum, imò inanem à datis Phænicij suæ amatorem.

Semper tu ad me cum argentatâ accedito querimoniâ.

id est, sonanti tinnientíque, & quæ argentum vnà adferat secum, mihique sit lucro. Subiungit deinde:

Nam istoc quod nunc lamentare (ita enim legendum, non *Clamitare*) *non esse argentum tibi*
Apud nouercam querere.

At enim commonendus Lector, duo porrò

porrò deinceps hemiſtychia deſiderari, ex veteribus impreſſis ità in locum ſuum poſtliminiò reducenda :

P s. *Eho, an vnquam huius nup ſiſti patri?*

B A. *Dî melius faciant.* Ps. *Fac hoc quod* &c.

Vnde certo certius compareret, Pſeudolum aliouorſum interpretatũ verba Ballionis, & *Querere* illud ἀντὶ τοῦ *Quereris* dictum, ioci captandi de induſtriâ per irridiculum accepiſſe, quum ſit imperantis. eſtque iocus ſcurrilis prorſus, ac ſeruili perſonâ digniſſimus. Quò magis miror, quidnam Camerarium mouerit tam doctum dictum labefactandi loco.

Verba Lenonis eâdẽ Scenâ hæc ſunt:

Nolo victimas, agninis me extis placari volo.

Itaque exempla vniuerſa. Lipſius tamen ex antiquis libris, in quibus omnibus *Minimis* erat, *Minis*, vel *Minimis*, ſcribendum auguratur, hoc modo; prò *Agninis, At minis* ſcilicet, nimium eleganti ſententiâ, atque ad Lenonis mores planiſſimè accommodatâ : Nam quum amator plus æquo credulus, propter ſeruatã, vti exiſtimabat, amicam, facere victimam Lenoni vellet, vt

„ Deo & auctori fortunarum suarum,
„ ille, qui aliud spectaret, negat se victi-
„ mas & inania honorum morari, sed
„ minas & argentum velle. Hæc hacte-
„ nus: δύσηχῶς, sequentia non item: Hæc
„ porrò verba (inquit Lipsius) *Mininis*,
„ (nam in ambiguâ pronunciatione io-
„ cus fuit) Leno ita extulit, vt adole-
„ scens minimè malus intellexerit eum
„ *Agninis* dixisse. Ergo subiicit:

„ *Quid stas? arcesse agnos, audin' quid ait*
„ *Iuppiter?*

Imò arbitror Calidorum verba Ballionis, ità vt ab eopse illo pronunciata, vtique ea cùm Lipsio meo rectissimè legenda censeo, nimirum:

At minis me extis, &c. planè & probè percepisse, diuerso tamẽ intellectu. Leno enim in ambiguâ significatione verbi *Minis*, quo lutulentus ille aurum & argentum merum intelligi volebat, lusisse videtur. adolescens contrà, *Mina exta* adiectiuè posita accepisse, ἀντὶ τοῦ *Agninis*, siue *ouillis extis*. *Minam ouem* enim, prò glabrâ, siue eâ, quæ ventre glabro est, veteres dixisse, testimonio est haud Varro modò, sed verò & Plautus ipse in Tru-

in Truculento, vbi manifestò eiusdem dicti ambiguitas comparet in personâ adolescentis rustici, his verbis:

Ego properè minas
Oues crumenâd' hac in vrbem detuli.

Ita enim scribo emendoque. siquidem id loci mirificè titubatum video à Plautinæ Comœdiæ Editoribus.

AD PSEVDOLVM.

CAPVT XX.

Largiri *cum ablatiuo.* Dicta dapsila. Iram in promptu gerere. Eo sum genere gnatus. *Plautinæ sententiæ à Plinio iuniore & Tacito fax prælata.*

PSEVDOLVS hero ad Charinum adducendum ablegato, quem promissis largiloquis onerauerat, solus, incertus, egens consilij hæc secum consultans loquitur:

Quid nunc acturus, postquam herili filio
Largitus dictis dapsilis? vbi sunt ea?

Sic enim libri omnes. rectè atque ordine. nam & Sticho:

Sed quid ego properans concesso pedibus, linguâ largior.

Eò dico, ne quem & antiquæ & raræ, hoc est, Plautinæ dictionis genus offendat, mirantem porrò verbum *Largiendi*, cum auferendi potius, quàm accusandi casu positum se lectitare. quæ res magnis etiam viris fraudem, & quidem insignitè dedisse videtur. & in his Lambino, aduorsus receptam lectionem acerrimè ac pertinacissimè nitenti, eamq́ue nullâ ratione aut modo ferri posse, sic quasi pro comperto adseueranti. falsò. id quod ex altero Plauti, quod produxi, testimonio, satis superq́ue declaratũ arbitror. & sciendum, Nominatiuum *Dapsilus* priscis Quiritibus illis, æquè ac *Dapsilis*, in consuetudinem fuisse. vnde ablatiuus iste *Dapsilis*, pro *Dapsilibus* natus.

Lego Scenâ proximè sequenti in verbis Simonis, apud vicinum atque æqualem suum Caliphonem (patres vt consueuere) de Pseudolo seruo, nequissimo filij sui corruptore, meritissimò conquerentis:

Hic mihi corrumpit filium, scelerum caput.

Hic

Hic dux, hic illi est pædagogus.
planissimè. at editiones nostræ, quantum est; *Hic duc, hic ille est,* &c. quasi de compacto agentes pariter repræsentant.

Sequitur aliquantò pòst senilis admonitio ex personâ Caliphonis vicini:

CA. Iam istæc insipientia est,
Sic iram in promtu gerere.

id est, in vultu & fronte promtam, vt quidem est in cordatâ illâ Ennij sententiâ:

Amicicias atque inimicitias in fronte promtas gero.

Ait de se Scenâ deincipe Pseudolus, gloriosum se faciens vt copi pectore, omnemque in doctis dolis sycophantiisque suis ac fallaciarum seruilium exercitu confidentiam habens plusquàm seruilem:

(Malorum meorum
Fretus virtute dicam)

Ridiculè, imò præter auditorum exspectationem, quum in eo potius esse videretur, vt diceret: *Maiorū meorum,* ex formulâ loquutionum haud sanè infrequentium Plauto.

Nec minor in illius dicti insolentiâ festiuitas:

Eo sum genere gnatus, magna me facinora decet efficere.

non sine amphiboliæ gratiâ, quæ ambiguo illo τοῦ *Facinora* vocabulo occultatur. Cæterùm ad phrasim quod attinet, ea verò nescio quid sollenne ac Historicum sonat. Q. Curtius lib. IX. ex personâ Alexandri loquens:

Eâ stirpe sum genitus, vt multam prius, quàm longam vitam debeam optare.

denique Liuius haud semel.

Scenâ: *Dij Immortales*: Pseudolus de epistolâ interceptâ gratulans sibi:

Nam ipsa mihi opportunitas non potuit opportunius
Aduenire, quàm hæc cauata est mihi opportunè epistola.

Quod profectò dicendi genus non Plauti elegantiam; sed sordes & rus merum olere, princeps Lipsius noster acerrimè est odoratus, additâ insuper à sese castigatione. cui mehercule ego tantùm abest, vt meam anteponi præoptem, vt vltrò etiam, si velit, secundas agere, suramque adeò sponte præbere

bere ſim paratus. Sed vtramque tamen in medium proponam, liberam Lectori optionem relicturus, vtram porrò malit eligendi. Emendauit intimus nobis ille, ne dicam, alter ego: *Quàm hæc allata*, vitij occaſionem inde ortam probabiliter hariolatus, quòd repetitâ ex priori dictione literâ ſcriptum fuerit, *Callata*. Vnde mihi coniecturam viſum eſt facere, ſed coniecturam tantùm: *Captata*. Doctiores arbitrabunt; ſi tamẽ doctioribus curæ fuerit hæc noſtra attingere, & ipſe cumprimis ille τὰ πάντα nobis, quantum eſt mortalium eruditiſſimus Lipſius.

Pergit ibidem ita philoſophari Pſeudolus: *Sed profectò hoc ſic erit;*

Centum doctûm hominum conſilia ſola hæc deuincit Dea

Fortuna: atque hoc verum eſt; proindè vt quiſque fortunâ vtitur;

Ita præcellit, atque exinde ſapere eum omnes dicimus.

Bene vbi quod conſilium diſcimus accidiſſe, hominem catum

Eũm eſſe declaramus: ſtultum autem illum, cui vertit malè.

Pleniſſimâ

Plenissima huius sententiæ explicatio à Plinio Iuniore petenda, Epistol. XXI. lib. V. ad hunc modũ scribente:

Est omnino iniquum, sed usu receptum, quòd honesta consilia, vel turpia, prout malè aut prosperè cedunt, ità vel probantur, vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta modò diligentiæ, modò vanitatis, modò libertatis, modò furoris nomen accipiunt.

Vtriusque rei documentum,

Hinc Catti fuerint nobis, atque inde Cherusci.

de quorum dispari successu ità in libello de Moribus Germanorum Tacitus:

In latere Chaucorum Cattorúmque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt. idq; iucundius quàm tutius fuit. quia inter impotentes & validos falsò quiescas. ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni æquiq; Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur. Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit.

AD PSEVDOLVM.

CAPVT XXI.

Plautina Pseudoli commendatio. Iam gratia est. Bene sit. Benignè. Visitare.

QVAM Pseudolo suâ Plautus gauisus fuerit, nescio: hoc scio, nullam me ex Poëtæ illius Comœdiis iampridem æquè lubentem perlegisse, neque animo vnde defæcatiore me discessisse existimem. ità vt mirandum non sit, eam Ciceroni tantoperè complacitam. Est enim Comœdia illa (vt multa sanè paucis proloquar) ocellus Fabularum Plauti: ideoque (qui meus est animus) extrà omnem notæ Censoriæ aleam posita, digna hercule, non à me aut Lambinis modò, verùm & ab Lipsiis quoque ac Scaligeris lectitari. Neque verò verendum est mihi, ne falsa videar memorare, quùm de re notâ, omniumque antiquariorum (eos excipio, qui verum dicere non didicere) sermone testatâ agam. illud potius metuendum, ne (vt nunc sunt homines

nes maledicentes) præter legem & naturam indignè fecisse coarguar, qui in tam angustum locum Plautinam longam Fabulam (sic enim ipse illam Poëta appellat) compingere veritus haud fuerim. quorum pol ego frigidæ, maximèque ieiunæ calumniæ vnum & vnicum illud præsidiũ oppono, quod Cicero prodidit, totam olim Homeri Iliadem in membranâ exaratam, nuci inclusam fuissę. Atq; hoc huic Capiti antelogium esto. nunc viciſſatim ad partes meas postliminiò remigrare decretum est mihi, vt Pseudoli fallaciis dem locũ, & quibus mali aliquid malâ obiectum est manu, iis auxilium vt feram. Quam rem ordine porrò tractare vt exequar; simul institutum meum vt seruem, nunc adeò prædico omnibus, caueant sibi ab eius loci contagio, qui sub Actûs II. finem legitur:

P s. *Iam gratiam*
Bene sit Charine, nolo tibi molestos esse nos.

Neque temerè hîc quidquam Camerario insistant credere, qui *Iam gratiam*, orationem deficientem esse autumat, vt intelligatur, *Habemus*. quod quidem ego

ego nauci non æſtimo. tametſi mihi ægrè eſt à tanti viri veſtigiis vel latum vnguem recedere. Ne longum faciam, ab auctore ipſo medicinam morbi petendam autumo, & leui additamento ſcribundum:

Iam gratia eſt.

Bene ſit, &c.

ſic enim & Menechmis:

Bene vocas, iam gratia eſt.

Cæterùm *Bene vocas, Bene ſit*, idem notare deputo, quod alibi apud eundem, itemq́ue apud Terentium, tum Horatium: *Benignè*. Quod quale ſit, quoniam ſatis ſuperq́ue ab aliis, imprimiſq́ue à Monſtrolienſi Interprete declaratum arbitror, operæ meæ parcam perſequi. alioq́ue potius gradum conuortam. & quò melius, quàm ad alterum huiuſdem Scenæ locum, vbi Pſeudolus hominem ſibi à Charino ſuccidaneum dari poſtulat, malum, callidum, doctum; prorſus, dignum patellâ operculum (illud ipſo ſe volui dicere) ſubiicit tandem?

Atque eum qui non hîc vſitatus ſæpe ſit.

Quod Lambinus interpretatur:

Eum

Eum qui non sæpe in his locis versatus sit. Rectè atque ex sententiâ ipsius Pseudoli. Sed enim *Vsitatus* illud, parum vsitatum (quod sciam) scriptoribus antiquis. Vnde nobis mota aliquando suspicio, *Visitatus*, prò *Vsitatus* substituendi, id est, sæpe iam antea in his locis ac regionibus conspectus. in quâ opinione Camerarium item fuisse comperior. Adiuuat coniecturam vtriusque nostrûm ipse Comicus, vsurpato non semel hoc dicēdi genere, vt Curculione;

Quid Lenonem Cappadocē? annuo visitasse.

id est, frequenter vidisse, neque ignorabilem oculis meis obiectum iri, siquidem fors obuiam occesserit mihi. Item Persâ:

Mihi quidem tu iam eras mortuus, quia te
non visitaui.

postremò etiam Epidico:

P.E. *Vbi te visitaui?*

A.D.

AD PSEVDOLVM.

CAPVT XXII.

Plauti verba diligenter expensa. Ritus Munerum mittendorum in Feriis Natalitiis. Item de Martiis Calendis *quadam.*

A Scena: *Cui seruitutem,* &c. exulant versus quatuor tam in Lambini, quàm Camerarij editionibus, quorum tres posteriores ità à me distinctos repurgatosq; operæpretium fuerit huc adpendere:

Si quispiam det, qui manus grauior siet.
Quanquam illud aiunt magno gemitu fieri,
Comprimere dentes videor posse aliquo modo.

Estque indignissima Pueri Lenonij conquestio, seruitutem suam cum turpitudine coniunctam secum miserantis, nimisque anxiè præmetuentis sibi, eâ firmitudine vti sit, vt inter cutem flagitari, hoc est, puerilis patientiæ legem, per insolentiam atq; ætatis acerbitatem, accipere possit: ex lubidine subulonum, & pullipremæ disciplinæ, ac herilis imperij decreto: cui se obsequentem.

quentem, morigerumque vt faciat aliquando, animum se inducere posse ait, vt, præ dolore gemitum compressis dentibus contumaciter dissimulando, hillas sibi cædi patiatur, modò eiusmodi amatorem inueniat, qui, quô manus grauior fiat, id est, peculium, vnde Lenoni hero suo munus mittere Natalitium possit, abundè suppeditet atque subministret. hoc enim satius consultiusque, quàm fullonium fructum potare. *Videor posse* (vt vides) ἀντὶ τ. *Posse videor* emendauimus, caussâ carminis maximè, vnâ alioqui syllabâ redundantis. De munere autem Lenoni mittendo, quoniam Natalis eius dies esset, ritus notior, quàm vt nostrâ illustratione indigeat. & docet Martialis sexcentis in locis. exempli gratiâ:

Natali tibi, Quinte, tuo dare parua volebam
Munera.

Item de suo ipsius Natali:

Natales mihi Martiæ Kalendæ,
Lux formosior omnibus Kalendis
Quâ mittunt mihi munus & puellæ.

Et tamen Kalendæ illæ, mulierum Saturnalia cluebant, quibus ipsas munerum

nerum acceptrices, seu condas potius, quàm largitrices aut promas fieri conueniebat. Sed cogitandum, publicum morem in priuatorum hominum Natalibus migratum. De reliquo pro me Turnebus satisfacturus tibi, qui libr. Aduers. XIX. cap. XIV. ex illis Terentij verbis : *Porrò autem Geta*

Ferietur alio munere, vbi hera pepererit :
Porrò alio autem, vbi erit puero Natalis dies :
Vbi initiabunt :

ostendit tam libertos, quàm seruos dominis aut dominabus suis munera Athenis mittere solitos, Nuptialia, Natalitia, in puerperio, tum Nominalibus, hoc est, simulatque nomen puero imponebatur; quoties Cereri denique liberos suos initiabant Athenienses.

AD PSEVDOLVM.

CAPVT XXIII.

Orcus, *prò* Dite *tàm hic, quàm apud Tibullum*. Mortuis cœnam coquere. Drachmissare. Nummo conduci. *Aulularia & Menechmi per caussam illustratæ.*

SCENA: *Forum coquinum qui vocant*, ait Ballio, *multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem*, hoc est, condignum Lenone coquum, quem è foro (sicuti antiquis mos erat) conductum, idem domum porrò properabat ducere, graphicè viuis ac suis coloribus depingẽs:

Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,
Vt esset hic, qui mortuis cœnam coquat.
Nã hic solus illis coquere, quod placeat, potest

Cui consentaneum loquendi genus reperias in illo Mostellariæ versu:

Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit.

Item Pœnulo:

Quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiserit.

Vbi *Orcus*, non prò loco seu receptaculo

culo mortuorum, verùm potius prò Summano, seu Dite patre positus videtur. id quod ad illud politissimi Tibulli notauimus in Præcidaneis:

Me vocet in vastos amnes, nigramq́; paludem
Dites in ignauâ luridus Orcus aquâ.

Quod verò autumat Leno, coquum eum idoneum esse, qui mortuis præeat in cænam, vide sis, an hoc fortè ad *Nundinalem coquum* accommodari possit, de quo in Aululariâ multis egimus suo loco. Reddit deinde rationẽ Cocus, cur, cæteris omnibus collegis ac sociennis suis ad coquendum abductis, solus ipsus eo die quasi vnus obsessor fori, præteritus ac prò derelicto habitus foret. Ait enim:

Illi drachmis issent miseri, me nemo potest
Minoris quisquam nũmo, vt surgam, subigere.

Sed Lambinus ex veterum librorum fide: *Drachmissant*, nouum vel antiquum vocabulum potius, eâdem puto lege, quâ *Patrissant* formatum, substituit. vt dicat gloriosus iste, misellos illos minimissimiq́ue pretij cocos, prò opellæ suæ addictione, drachmam nõ amplius vnam à conductoribus suis exigere

consuetos, hoc enim *Drachmissare* est. Quod (vt quidem nunc est) examussim germanum mihi, prorsusque adeo Plautinum videtur. *verum tempestas memini quum quondam fuit*, quum, *Drachmâ issent*, emendandum arbitrarer, numerorum ratione adductus maximè. Quod verò se non nisi nummi precio conducibilẽ Magirus iste Ballionius gloriatur, tantidem quoq; à Megadoro in Aululariâ ad cœnã nuptialẽ coquendam conductus Congrio. Sic enim ille:

Nummo sum conductus, plus iam medico mercede opus est.

vbi haud alium sanè, quàm nummum aureum, pluris duobus aureis nostris contrà æstimatum antiquitus, intelligi posse, res ipsa clamitat. Sed neque in Menechmis aliter huius monetæ æstimatio accipienda in obsonatione illâ meretriciâ, in hisce Erotij verbis:

Sportulam cape atque argentum, tres eccos nummos habes.

Etiam in eâdem Fabulâ (Menechmis inquio) verisimile est nummum aureum, non sestertium significari, quo *Porcos Sacres sinceros Epidamni venire* Menechmo

nechmo indicat Cylindrus Cocus: nimisque eos homines frustrà esse, qui quartam Drachmæ, seu Denarij partem, id est, sestertium nummum eo loco nobis interpretati.

AD PSEVDOLVM.

CAPVT XXIIII.

Teruerunt, *pro* Triuerunt *in Plauto repositum ex Prisciano.* Formidolosæ dictu. *Menechmis medicina facta. Horatianæ sententiæ interpunctionis vitio laboranti subsidium latum.* Opera, *vel, opus apparet.* Occidis me cum istuc rogitas. *Fragmentum Afranij emaculatum.*

PERGIT eâdem porrò Scenâ aliorum coquorum *non condimenta, sed striges* (vt quidem ipsus indigitat) facetè exagitare Cocus iste Plautinus, aiens:

Teritur sinapis scelerata cum illis, qui terunt.
Priusquam triuerunt oculi, vt exstillent, facit.

Sed verò videtur legendum, ac distinguendum potius:

Priusquam teruerunt, oculi vt exstillent, facit.

Teruerunt, ſcripſi, antiquum in morem, pro *Triuerunt*, idque ipſo Priſciano auctore, ita hunc verſum laudante. Adde Tibullianum illud:

Aut operi inſuetas atteruiſſe manus.

Sequitur paulò poſt:

Cum haſce herbas huiu'modi in ſuam aluum congerunt,
Formidoloſas dictu, non eſu modò.

Vbi *Formidoloſas*, prò horribilibus actiuâ notione poſitum obſeruabis, quomodo & apud Criſpum meum:

Loca tetra, vaſta, inculta, formidoloſa habere.

Parem quoque ſententiam argutè expreſſam ab Ouidio habemus in Heroidibus illis multò lepidiſſimis:

Ilion, & Tenedos, Simoiſque, & Xanthus, & Ida,
Nomina ſunt ipſo penè timenda ſono.

Pergit etiam nugas venditare porrò ridiculus iſte, non dico cocus, ſed verò (de ſe ſi creditur ipſi) hominum ſeruator magis:

Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi,
Aut ſi polindrum, &c. Sequutus ſum Lipſianæ cenſuræ certiſſimam caſtigationem

tionem, prò *in pagina scindidi.*

Atque ex hoc loco credo mehercule rescribendum in Menechmis ex personâ gemini illius Sosiclis cum Cylindro coquo rem habentis his verbis:

Seu tu Cylindrus, seu Cicilendrus, perieris.

Hoc enim aliquantò propius à *Cylindro* abesse videtur, quàm *Coriendrus* Camerarij, aut *Coliendrus* Lambini; vocabula nihili, & quibus nouo Oedipo enucleandis sit opus.

Elegans verò ille, neque sanè protritus loquendi modus:

Verùm prò pretio facio vt opera appareat
Mea, quò conductus veni.

significare postulans sese: *Facio*, vt & operæ & mercedis ratio constet conductori meo, par pari hostimentum reddens, hoc est, operam locans prò pecuniâ, pretiumque condictum artis pariter meæ vtilitatibus compensans atque exæquans scilicet. Vsus eodem genere Cato cap. 2. Rei Rust. *Si ei opus non apparet, dicit rusticus sedulò se fecisse, seruos non valuisse*, id est, sonticum morbum causatos, quò minus opus facere valuerint. Est ibidem:

Simul item his discipulis prius custodes dabo.

Rectè proinde in Eunucho Terentianâ, *Manipulum furum, Coci discipulos*, interpretatur Donatus.

Habes eâdem Scenâ sub eiusdem gloriosi schemã:

Vt quisque quicque conditum gustauerit,
Ipsos sibi faciam vt digitos prærodat suos.

Cæterùm concinnior omnino futura sententia, siquidem, *Ipsus* legamus.

Actus quarti Scenâ principe:

SY. *Occidis me*
Cum istuc rogitas.

Genus loquendi Comicis perquàm sollenne, prò: Enicas me percontatione istâ tuâ, atque eâ odio & molestiæ es mihi. Terentius Adelphis:

Occidunt me, qui, dum nimis sanctas nuptias
Student facere, in apparando cõsumunt diem.

Quomodò in Epodis denique Horat.

Occidis sæpe rogando.

Indidem aliquantum adstruamus insuper; vbi dicenti Pseudolo:

At hoc volo monere te,

respondet Simia:

Monendus ne me moneat.

hoc est, *Ne sus Mineruam.* Cuius prouerbij

uerbij admonitu, conſentaneum abs ſe dictum inſuſurrat Horatius nobis, conſultiſſimo illo Epiſtolæ XVII. libri primi exordio:

Quamuis, Scæua, ſatis per te tibi conſulis; & ſcis,
Quo tandem pacto deceat maioribus vti:
Diſce, docendus adhuc quæ cenſet amiculus; vt ſi
Cæcus iter monſtrare velit, &c.

Ita enim tertij Hexametri verba conſtruo ac diſtinguo, firmante præſertim opinionem hãc noſtram pariſſimo Auſonij loco, ita ſcribentis in Epiſt. ad Symmachum: *Ego te docebo docendus adhuc, ſi eſſem id ætatis, vt diſcerem: aut ego te vegetum atq; alacrem commonebo.* Qui ſanè haud aliò, quàm ad huncce Satyrici locum ſpectaſſe videri debet. Praua proinde ac perpera diſtinctio potiorem huiuſdem ſententiæ partem corrupit, peruortitque, ac conturbauit hactenus; non Lambino, non Cruquio, non cuipiam ex Interpretibus intellectæ. Cui malo vti porrò occurratur in poſterum, interpungendum fuerit, vt diximus: vt Poëta conſilij ſui

ſui rationem prudenter ſimul ac pudenter expoſiturus, veniam ante præfatus, apud amicum ſe purgitet. idq; ex conſequentibus, de *Caco itineris duce* ſeu monſtratore, cui ſeſemet ſatis Satyricè aſſimulat, perſpicuè planum. Ait enim: *Diſce, quæ cenſet amiculus tuus*, id eſt, ego, quamuis ipſus adhuc & monitoris, & alieni conſilij indigens. Neque verò intelligit, Scæuam, docendum ſuisque præceptis inſtruendum (vti Enarratoribus placet) verùm ſemetipſum potius, qui perſonâ doctoris aſſumptâ, Scæuæ conſilium dare, rectéque cautum & conſultum ire ſatagat, ſcæuè atque præpoſterè.

PS. Taceo: ſed ego quæ tibi donā
Dabo & faciā, ſi hanc rem ſobriè accuraßis?

In quibus verbis mirum hercle eſt, neminem etiamnum, quod offenderet, offendiſſe, quum inibi tamen peccatum ſit maximè. cur enim aliter animum inducam, quamdiu mecum reputo dicti eius inſolentiam? *Dona faciam.* quod nihili & nequam eſt, atque (vt breuiter dicam) Plauto indignum. corrigendum tamen facili mutatione,

D. ſcilicet

D scilicet in B conuorsâ hoc modo:

Taceo: sed ego quæ tibi bona
Dabo & faciam, &c.

Idem error commissus in Fragmento quodam Afranij, quod à Nonio ex *Æqualibus* eius Poëtæ producitur his verbis:

Iste, vt tu rē narras, dona comest hîc quotidie.

vbi *Bona* reponendum quis hinc non videt? tametsi in Editione Iunianâ tam hoc, quàm illud perperã videam desiderari. Quas quidem emendationes nostras sexcentis huic parissimis in Plauto locis, idoneis (ni fallor) ac locupletibus testibus probare & confirmare possim, nisi vererer, ne multiloquio meo ex longâ longiorem hanc facerem Fabulam. Nam quid eo est opus?

AD

AD PSEVDOLVM.

CAPVT XXV.

Pseudolo duûm locorum correctio. Metari gradibus militaribus. Morus & molestus.

SCENA: *Ne plora,* &c. scribitur:

Quin hinc metimur gradibus militariis?

nescio an satis probè aut Latinè. cui scrupulo vt occurratur, ausim & ego in partem adiuuans rescribere:

Quin hinc metamur gradibus militaribus?

Hoc enim purum putum castrense ac militare vocabulum, cui coniecturæ firmandæ libri veteres, in quorũ contextu, liquidò expressis literis, Lambinus se deprehendisse testatur:

Quin hirco metamur, vnde ipsus:

Quin hinc comitamur,

architectatus est nobis. meo iudicio non rectè. *Gradus* verò *militares* interpretor, quibus militari ex disciplinâ Caculæ seu Calones ingredi consueti antiquitus. quâ de re vide ea, quæ in Epidico obseruata à nobis, super eius loci explanatione, quem habes Scenâ primâ: *Vt tu es gradibus grandibus?*

Scenâ

Scenâ: *Malus & nequam est homo,* ait Simo de Pseudolo seruo suo omnium bipedum nequissimo:

At me viginti modicis multauit minis.

Ita enim exemplaria vniuersa. Cæterùm nescio, an Plautum ita loquutum credam. & vereor, vt satis sincera sit lectio. Quod si, *Commodis*, legatur, res omnis in procliui fuerit. quod tamen temerè & sine veterum Codicum auctoritate adseuerare nõ ausim. Doctiorum sit arbitratus. Mihi quidem certè id scripturæ non displicet, quippe persuasum habenti, 9. pro *Con* exaratum fuisse, ex communi scripturientium formulâ & consuetudine. vnde fortasse priore notâ vetustate extritâ, aut à lucifugo blattarum ac tinearum genere penitus erosâ *Modicis* istud *ἀντὶ* τ͂ *Commodis* Plauto sinistrâ liberalitate prò librariorum captu condonatũ denique. Adde quod & Asin. Argyrippus

Viginti commodas argenti minas

à suo sibi seruo postulat dari, amicæ suæ quas det matri. Hæc quum scripsissem, repperi posteà correctiunculam

Iam hanc noſtram à Monſtrolienſi Interprete in contextum Plauti relatam. mallem in Commentarios. ſic enim ſcire poſſemus, vtrúmne ingenio (proinde vt nos) an verò mẽbranaceis libris potius huiuſmodi mutatio nitatur.

Scenâ, in quâ pulchrè madidus Pſeudolus introducitur, à Lipſio noſtro emendatum:

Manu candidâ cantharum dulciferum
Propinare ſuauiſſima amicitia, neq; eſſe aliũ alij
Odio, nec moleſtis ſermonibus nec morologis vti.

idque verum puto. Solet enim Plautus ferè duo iſta coniungere *Morus* & *Moleſtus*. ſicuti in Menechmis:

Vt hoc vtimur more moro moleſtoq; multum.

Iam propinationis huius exemplum haud tralatitium habes in Perſâ, vbi Lemniſelene Toxilũ amatorem ſuum hâc facetiâ acceptum compellat:

Hoc mea manus tuæ poculum donat,
Vt amantem amanti decet.

IANI DOVSÆ NORDOVICIS CENTVRIONATVS, SIVE PLAVTINARVM EXPLANATIONVM LIBER IV.

AD POENVLVM.

CAPVT I.

Mendum insigne sublatum è Pœnulo. Lessum ducere. *Nannij error notatus.* Obambulare. Adiuuare. Populo audientiam facere. *Plautus emaculatus. Item Afranius apud Charisium.*

CVM ego antehac Plauti exemplaria de mendis suspecta habuerim semper, compluribusque adeò in locis à librariolis, qui ea exscripsere, per imperitiam temerè sæpe peruorsa & corrupta esse

pta eſſe iudicauerim; tum id his diebus mihi ſatis aperuit Pœnulus; idque non ignobili in loco, verùm in ipſo ſtatim Prologi ingreſſu, qui in omnium oculis eſſe conſueuit; quò magis miror neminem etiamdum in tantâ Correctorum turbâ repertum, qui non dico eum mendo liberarit, ſed (quod minimum facillimumque eſt) ſaltem in quæſtionem vocauerit ſibi. Etenim de primis eius corruptoribus quid attinet dicere, quos ad Comici noſtri Genium perparum hercule, ſiue (vt verius dicam) minus nihilo ſapiuiſſe conſtat? ita vt nouum non ſit, caliginem ipſis interdum ob oculos obtigiſſe, in eâ præſertim voce, quam & Sext. Ælius, & L. Ælius (ſi quidem Ciceroni credimus) non ſatis ſeſe intelligere, ingenuè atque ſimpliciter ſunt profeſſi: ſuſpicari tamen veſtimenti aliquod genus funebris eſſe. de *Leſſo* loquor. quæ vox vnius literæ commutatu, comitate (vt ego arbitror) eorum, quos memoraui modò, in *Seſſum*, degenerauit. Sed præſtat rem ipſam oculis ſubiectam proponere:

Nes

Neu designator præteriens obambulet,
Neu sessum (lego *Lessum*) *ducat, dum histrio in Scenâ siet.*

Vides, ignoratio Antiquitatis quid faciat. quoniam se, *Lessum*, commodè diffinire posse diffidunt, nouas has nobis loquutionum Sphynges peperere.

Quas quidem (vt Poëta alibi ait) *pol credo, nisi Sibylla legerit*
Interpretari alium potesse neminem.

Quis enim vnquam vel fando audiuit, *Designatorem sessum ducere*? cui hoc vnum curæ erat, vtpote funerum arbitro, non vt *sessum*, quod non intelligo, sed vt *Lessum* duceret, id est, pompam funebrē, aut eos qui *Lessum* (quod Lælius apud Ciceronem quasi lugubrem eiulationē significare autumat) funeri faciebant, atris lictoribus (teste Satyrico) decoratus, ad locum Libitinæ præstitutum conduceret; scilicet cum honore omnia vt fierent, atque vt quisque ordinem sibi à *Designatore*, seu potius *Dißignatore* præscriptum inter progediendum obtineret. Quæ si Nannio nostro (at cui viro?) bene prouisa anteà, satisque explorata fuissent,

ſent, cenſéſne ipſum eò vnquam incogitantiæ proceſſurū fuiſſe, vt ſcriberet? *Deſignatorem eum eſſe, qui non modò Spectatoribus loca in theatro deſignat, ſed verò & Choragium locat, & reliqua ornamenta ludis neceſſaria ſuppeditat.* Quæ quidem propria Ædilium (vt ſcimus) non autem *Deſignatorum* prouincia cluebat. Ac ne quis verbum iſtud irreptitium, atq; à Plautinâ Scenâ alienius ducat; exemplum hocce eiuſdē è Truculento adpingam:

Stultus es, qui facta infecta facere verbis poſtules,
Thetis quoque etiam lamentando leſſum fecit filio.

Quid vetat & Legem illam Decemuiralem hiſce porrò Tabulis adpendere, quâ modus muliebri lamentationi præſcribebatur?

MVLIERES GENAS NE RADVNTO,
NEVE LESSVM FVNERIS ERGO HABENTO.

Ex quibus omnibus, quid hac de re porrò in poſterum ſit ſtatuendum, ſatis ſuperque iam liquere exiſtimo. Cæterùm præmonendus eſt Lector, verbum

Chambulet

Obambulet, singulari notione hoc loco, ac longè alio, quàm vulgo consueuit, significatu positum videri. Est enim *Aduorsum alios ambulet*, quasique opponens sese, atq; in viâ obuiam obsistens ambulantibus, (teste Pompeio) ne quis cum Lambino fortè cæterisque Plauti Explanatoribus, *vltro citroq; ambulet*, interpretetur.

Eodem in Prologo Imperator Histricus, *Populo audientiam facere Præconem iubet* (quod idem ante Asinariam πρoλoγιζόμενος, *Facere auritum poplū* dicit) subiicitque porrò è vestigio:

Exerce vocem, quam per vinis & colis.

elegantissimè. *Vinis* enim ad victum; *Colis* ad cultum referendum: vtrumque perpòl necessariū humanæ vitæ: **Kost en kleeren.**

Ad finem porrò Prologi descendamus, hisce verbis conceptum:

Valete, atque adiuuate, vt vos seruet Salus.

Cui loquutionis generi consentanea quoque illa M. Terentij lib. 1. de Re rusticâ, cap 11. *Nec vllæ inquam pecudes agriculturæ sunt propriæ, nisi quæ agrum opere, quò cultior sit, adiuuare, vt eæ quæ iunctæ arare*

possunt. Vide ad Catulli illud:

Illud adinuato,
Ne quis liminis obserat tabellam:

obseruata à nobis in Præcidaneis.

Scenâ: *Negotij sibi qui volet vim parare,*&c.

Quærit ex hero suo Milphio, pretio condigno redonari postulans sese, pro euocatione, quâ immodestũ amatorem illum regustandi ex interuallo amores suos, cominusque speculandi & alloquendi fecerat compotem:

Ecquid gratiæ, quum huc foras te euocaui? nunc iam
Me decet donari. cado vini veteris. dic dari.

Sic Sticho quoque cadum vini veteris seruo suo, in diem vnum modò eleutheriam petenti, propinat Epignomus, pro multorum annorũ miseriis, quas idem secum terra marique peregrinando exantlauerat. Cæterùm rescribendum videtur: *Dic dare*, id est, daturum scilicet te. Hoc enim more passim loquutum comperior Plautum.

AG. *Sunt mihi intus nescio quot nummi aurei lympathici.*
MI. *Deferto ad me, faxo actutum constiterit lympathicum.*

Quod

Quod responsum Adelphasio transcribendum censeo, inducto Milphionis nomine vsque ad duas priores voces Trochaici deinceps sequentis, hoc modo:

A D. *Deserto ad me, faxo actutum constiteris lymphaticum.*

M I. *Bellula hercle.*

vt significet seruus fastidiosè & contemtim: Bellum verò prostibulum populi, in quam nummi isti aurei profundantur, tantusque sumptus de nihilo erogetur ab hero meo. Neque aliter sanè personas ordinandas res ipsa clarum facit.

In phrasi verò illâ:

Negotij sibi qui volet vim parare.

initio Scenæ à me productâ modò, quòd nonnulli apud Lambinum codices variarent, caussa non erat. Nam quid obsecro Latinius? Sic Afranius Emancipato: *Post narrauero:*

Nunc est distentus animus vi negotij.

Porrò autem propero.

Ita enim nos Fragmentum illud apud Charisium, cum Plautinæ auctoritatis maximè, tum impressæ simul ac ma-

nuſcriptæ lectionis fiduciâ, τὸ *Vt* nobis, vel certè, *Vti*, repræſentantium, diſtinguere ac reconcinnare auſi fuimus.

AD POENVLVM.

CAPVT II.

Lambiniana emendatio comprobata; enarratio non item. Turnebicæ correctioni aſſenſum. Interpres iterum refutatus.

SCENA: *Dij illum infelicent, &c.* Homo ventoſiſſimus & inanium gloriarum plenus Anthemonides Miles inducitur, iactans ſe ſexaginta hominum Volaticorum millia vno die manibus ſuis interfeciſſe, atq; in ſoporem mortuos collocaſſe: quod quùm Lenoni penè in ſtuporem verſo, neque verum, neque veriſimile adeò videretur, ille vt mendacium miriore inſuper mendacio cumularet, rationem prælij à ſe patrati ſubiicit huiuſmodi:

Viſcum Legioni dedi
Fundáſque. eò proſternebant folia farfari.

Cæterùm Turnebo ipſa rei ſenten-

tia auctor fuit, vt *Praesternebant*, emendaret. Insanè bene, nisi nobis Lambinianum illud placeret impensius: *Praesternebam*, quod quò procliuius subigar, vti accredam, facit ipsius narrationis series, leuiter porrò à Lyco interruptae, quae sequitur, hinc (vti paret) dependens penissimè. Aliter enim nunquam subiuncturus fuerat Anthemonides, *Infundebam*, verùm hercule, *Infundebant* potius. Quòd si cui fortè probari possit, vtrumque de Legione Militis intelligendum. Atqui hoc vero consentaneum non est. dicit enim nugacissimus iste Vaniloquidorus; Fundas Legioni, cui cum militari imperio praeerat, dedisse sese, iisque porrò fundis globos grandiculos indidisse, vnà pariter cum visco. Sed quia periculum videbatur, ne viscus, quò globos oblitos contactosque fuisse est verisimile, fundis simul cum ipsis globis adhaeresceret, sese igitur cautionem paratè adhibuisse, credi cupit callidus, & folia farfari praestrauisse, id est, substrauisse atque inspersisse, quae fundas, quas ipsus manipularibus suis (vt dixi) singulas de-

derat, ab adhærentis viſci cõtagio glutiniq́ue tenacioris lentitudine integras intactaſq́; ſeruaret. Quæ ſingula eò curioſius viſum eſt pertractare, quò longius à Poëtæ mente exorbitaſſe video Lambinũ; *Eo præſternebã*, *Eo conſilio ante ſternebam*, interpretantẽ: quum Eò, nẽpe *in fundas* ἀπὸ κοινοῦ ſit ſubaudiendum, quæ particulam iſtam anteceſſerant modò.

Alterum verò *Eò*, quod ſequitur, auferendi caſu eſt, & de viſco accipiendum, quo funditari volantes illos iuſſiſſe porrò ſeſe commemorat Miles. Malè ergò Lambinus, qui *Eos*, pro *Eo* in contextum Plautinæ Comœdiæ referre ſuſtinuit.

Illud autem: *Quemq́;* (ita enim lego, non *Quenquem*) *viſco offenderant*, id eſt, quemcunque hominum iſtorum volaticorum, Dædaleo remigio per cœli cærula euntium, globis viſco illitis cõtigerãt Legionarij illi Funditores mei,

Tam crebri ad terram decidebant, quàm pira.
Vt quiſque ceciderat, eum necabant illicò
(id eſt, in loco, eueſtigiò)
Per cerebrum pinnâ ſuâ ſibi quaſi turturem.

Ita enim Cameraríana editio. Per-

peram ; & placet cum Turnebo legi potius: *Necabam*, quò magis etiam prioris mendacij memorem concinnemus Thrasonem istum, qui Icarios illos homunciones ipsius suis, non autem militum suorum manibus occisos ampullatus fuerat, antea. Quid enim? etsi nugiuendus strategus iste Viscarius, gloriam eosdem visco funditandi manipularibus suis transcribere velle visus, quippe parum honestum ac gloriosum imperatori ducens, si se funditorem, quæ infima rei bellicæ prouincia est, in pugnâ illa Pelethronicâ (sic enim, à Pelethroniis Lapithis detorto nomine, cum Henrico Stephano legẽdum iampridem sum persuasus) factum mentiretur; rem tamen omnem non alîus, quàm suopte remigio, hoc est, virtute, ductu, Imperio atque auspicio ipsius suo gestam, patratamq́ue (si diis placet) credi postulat sibi. In cuius nugacissimæ ac verè Lucianicæ historiæ enarratione, quàm Lambinus frustra fuerit, operæpretiũ est considerare; qui, *Pinna*, recto casu numerorum fulciendorum gratiâ dictum

ctum accipere, & *Necabat*, pro *Necabam*, obtrudere nobis veritus non eſt. hoc ordine: *Pinna ſua ſibi necabat eum quiſquis ceciderat, tanquam turturem, cum eſſent homines volatici.* Inſcitus, qui auferendi caſum numerorum rationi officere crediderit, oblitus videlicet ſolens, *Suâ*, non duarum ſyllabarum hoc loco, ſed verò monoſyllabum in morẽ ſumi ac pronunciari debere, quomodo & cognata eiuſdem Meâ, Tuâ, aliaque ad hoc exemplum paſſim apud Comicos occurrentia. Quæ Lambini noſtri ſententia (vt quidem meus eſt animus) ipſis volaticis illis nugis hominũ multò etiam nugacior, ac volatica magis videri poteſt.

Malè legitur ſub exodium eiuſdem Scenæ:

Profectò feſtos habeam, decretum eſt mihi.

Certum proinde eſt emendare:

Profecto feſtum hunc habeam, &c.

atque eò audacius, quòd Subſtantiuus, *Diem*, præceſſerit modò.

AD POENVLVM.

CAPVT III.

Gradus cribro pollinario succretus. Tumultuari. *Comicum Poëtæ artificium demonstratum*. Ædes, *ab edendo. Plauti versus perperam ab Isidoro citatus.*

SCENA: *Ita me Dij ament*, &c. Agorastocles procedit adolescens, Testium, siue aduocatorum, quos ducere properabat sibi, spissigradissimam lentitudinem, pulmoneumq; ac testudineum incessum Scenicis conuitiis iuueniliter incessens, atque inter alia opprobramenta criminosè obiectans, * *gradum ipsorum cribro pollinario succretum* videri. In quo expediundo magis etiam impediuisse ac intricasse se mihi videntur interpretes. quorum singulorum sententias, mora mera fuerit refellere. Proinde opinionẽ meam proponere contentus, aio *Cribrum pollinarium* hoc loco, non quidem setaceum aut excussorium illud è lino, seu pertusâ adeò membranâ instrumentum (quod

* *Facit huc Catonis locus ex cap. 18.* Eo calcẽ cribro succretã indito altè digitos duo.

(quod *Incerniculum*, ab *Incernendo*, Lucilliũ ſequutus vocitat Plinius) quo hodieq; à furfurum recrementis pollen diſcerni ac ſeparari conſueuit, verùm hercule farinam ipſam à furfuribus expurgatam, quam *Florem* vulgo, hoc eſt, Pollinem perhibemus, diſertè ſignificare. vt *Cribrum*, non id quod cribrat ſiue excutit pollinem; ſed verò ipſum polliné potius, qui ex cribro farinario cribratur, ſeu excernitur, interpretemur. Notum autẽ, quàm lentæ inter depſendum ac ſubigendũ materiæ res ſit farina, macerata præſertim, humigataq́ue atq; in fermento iacẽs maximè. Porrò quemadmodũ *Cribrum*, pro polline cribrato; ſic *Molam*, itidem haud pro *moletrinâ* (perinde vti nos hodie) *ſed pro farre molito ac toſto* eoſdem veteres illos dictitare ſolitos quis neſcit?

Vrbana verò reſponſio illa Aduocatorum:

Seruile eſſe duco feſtinantem currere,
Præſertim in re placidâ atque interfectis hoſtibus,
Non decet tumultuari.

Propriè dixit *Tumultuari*, quod nos; Allarm

Allarm maken. *Tumultus* enim, quasi *Tumor multus*; vt quidem nos eiusce vocis Etymon apud Ciceronem libro huius operis primo primi emendandum docuimus. Neque ꝑ *Tumulti*, aliunde originatio petenda. Quâ de voce etiam lacunas Festi, qui volet, consulito. Nec minus illud operæpretium est attendere, quàm dissimulanter, & quasi aliud agens per causam (vti videtur) Románorum res gestas victoriasque ac trophæa, virtute duellicâ de hostibus, id est, Pœnis victis atque interfectis quæsita, hoc loco attigerit Poëta noster. in quo Comicum eiusce artificiũ qui non videt; næ ille, cum Glorioso Pyrgopolinice, *Elephanti corio est circumtectus; neq; habet plus sapientiæ, quàm lapis.*

Pergit ibidem Agorastocles conuiciari porrò aduocatis, ac tarditatem exprobrare. Neque mirum; homo adolescens, ac præ amore, moræ omnis impatiens; & cuius *animo cupidè cupienti* (vti apud Sallustium est) *nihil satis festinabatur*. Exempli caussâ:

At si ad prandiũ me in ædẽ vos dixissem ducere.
Vinceretis ceruum cursu, vel grallatorẽ gradu.

Atque

Atque hunc pòl locum intelligere visus Isidorus, lib. XV. cap. III. sed perperàm citatum, vbi scribit:

Omne Ædificiũ antiqui Ædẽ appellauerunt. Alij AEdem ab Edendo quidem nomen sumsisse existimant, dantes exemplum de Plauto:
Si vocassem vos in ædem ad prandium.

AD POENVLVM.

CAPVT IV.

Interpunctionis non suo loco positæ integratio. Facere vnguentariam *apud Plautũ,* Scrutariam *apud Apuleium.* Latrocinari. Latrones. Frigidefactare.

ACTV tertio, Leno Colabisco hospitium quæritanti, quoniam se illi festiuum locum præbere velle dixerat, parum tandem festiuè hæc adpromittit insuper:

Ibi te replebo vsque vnguentûm echeumatis.
Quid multa verba faciam? vbi tu laueris,
Ibi vt balneator faciat vnguentariam.

Vacillat enim in postremis duobus versibus sententia, in altero, etiam pedum

dum ratio. Sed hoc verisimile non est. potius crediderim ab aliquo Lycomastige argutias Lenonias deprauatas, easdemque hoc pacto reconcinnandas:

Quid multa verba? faciam vbi tu laueris, ibi
Vt balneator faciat vnguentariam.

Id est, ita vnguentis balneum, in quo lauabis, affluere faciam, vt non balneum, verùm vnguentarij officina potius, videri possit. Quo item loco notandum, *Facere vnguentariam*, sirempse lege dictum videri, quâ & *Argentariam, Topiariam, Vellaturam, Medicinam facere, Pullariam* deniq; dictitabant Veteres: etiam *Scrutariam*; apud Apuleium lectum: non quidem pro, Minutula quæque furtim angulatimque perquirere) vti Beroaldo placitat) neque prò *Conuasare*, id est, vilia vasa furari: (quomodo volt Durantius) sed verò (quæ mea est sententia) pro Scrutarium, siue Friuolarium quæstum exercere & colere, hoc est, Scrutorum, nulliusque pensi mercium propolam & quasi proxenetam cluere. exemplo loquutionum earum, quas collectas repræsentauimus modò.

Sed hæc peruolgata nimis: illud fortaſſe non item, auri præſertim Batauæ, *Latrocinari*, prò Militare, ſeu Iure adeò duellico ac diſciplinâ vti militari, à Plauto poſitum illis verſibus qui ordine deinceps lectitantur:

Sed hæc latrocinantur, quæ ego dixi omnia;
CO. *Quid ita?* LY. *Quia aurum poſcunt præſentarium:*

Quod lepidè me hercule in rem ſuam ſecundo tempore profert Leno. Huic enim generi (vt ipſe alibi Poëta loquitur) *ſemper oculatæ ſunt manus, credunt quod vident.* quemadmodum & militibus noſtris, qui niſi repræſentato prius auctoramento, hoc etiamnum ſeculo ſeſe haud temerè ad bellum pertrahi patiuntur. idq́; veterum exemplo potiſſimum, ſicuti videre eſt ex hoc loco; clarius tamen è Milite, vbi hunc in modum, Suffenum illum ampullantem inducit:

Videtur tempus eſſe; vt eamus ad forum,
Vt in tabellis quos conſignaui hîc heri
Latrones, ibus dinumerem ſtipendium,
Nam rex Seleucus me opere orauit maximo,
Vt ſibi latrones cogerem & conſcriberem.

Et poſteà

Et postea in eâdem Comœdia:

*Nam ego hodie ad Seleucum regem misi *Parasitum meum,*
Vt latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret,
Qui eius regnum tutarentur, mihi dum fieret otium.

*Grauem verò & serium Legatū.

Latrones, id est, milites, seu stipatores. Rationem, quamobrem ita indigitati antiquitus, reperias apud Varronem lib. VI. De linguâ Latinâ. Nobis satis superque esse debet, testimoniis in medium protractis, grauibus sanè, & (quæ ratio maxima est) Plautinis, Grammaticorum opiniones adstruere. quod ipsum paucis vt fiat, etiam vnum insuper abs eâdem Milite accersam, ex persona Periplectomenis:

An quia latrocinamini, arbitramini
Quiduis licere facere vobis, verbero?

Id est; Quoniam (vt supra diximus) ad legionem ciuitis bellatores, vel, quia stipendia facitis, estisque homines militares? Itemq; alterum è Trinummo:

Ibit istâc aliquò in maximam malam crucem
Latrocinatum, aut in Asiam, aut in Ciliciam.

Quod ipsum in Heautontimorume-

no ſuâ explicat nobis Terentius, quum ſcribit:

In Aſiam ad Regem militatum abiit Chreme.

Ad Regem, ſcilicet Perſarum. Is enim *Rex* abſolutè, vel etiam *Rex Regum*: interdũ adiecto Epitheto, *Rex magnus*, vulgò celebrabatur. Adde ſupradictis Plautinum illud ex hâc ipsâ Pœnulo:

Nam hic latro in Spartâ fuit,
Vt quidem ipſe nobis dixit, apud Regem Attalum.

Latro, id eſt, militari Sacramento auctoratus; Regioque ſtipendio ad latrocinandum, ſiue militandum conductus. Denique ex Sticho:

Vóſne latrones & mendicos homines magni penditis?

Quibus omnibus lux inſuper à Graccho illo Tiberio fœneranda, cuius hocce fragmentum citat Nonius: *Qui apud Regem in latrocinio fuiſti, ſtipendium acceptitaſti.*

Atque ego me nunc moror, imò Lectorem verius, quum longos logos de re indubiâ texo.

In eodẽ Actu, tertiâ ab hac Scenâ, *Frigeſactas*, lego, pro eo quod eſt in noſtris:

LY. *Calidum prandisti prandium hodie? dic mihi.*

AG. *Quid jam?* LY. *Quia hoc nunc frigefactus, quum rogas.*

Vel certè reponendum *Frigidefactas.* quã dictione idem postea in Rudente vsus reperietur, eodem planè sensu, quum dicit:

Os calet tibi, nunc id frigidefactas.

At verò pausam faciam tandem, ne & ipse calidum hîc prandisse prandium videar, idque ipsum frigidis his & inficetis verborum næniis frigefactare iam velle.

AD POENVLVM

CAPVT V.

Vinarij. In Aurelio Victore eam vocem retinendam. Primæ hostiæ. Haud fermè. Milphionis ioci vrbanitas haud pertractatè expensa. Lambini denudatus error. Mulieres, meretricium professas, nomina sibi immutare consuesse, ex Aristeneti Eroticis comprobatum.

SCENA: *Satis spectatum est,* &c. Orationem perinde habet Syncerastus, quasi ipsus sit frugi bonæ, & suam & Lenoniæ disciplinæ corruptelam secum stomachosè conquerens.

Quoduis genus ibi hominum videas, quasi Acheruntem Veneris.

Malè; idque nouissimi vocabuli gratiâ, quod quidem minusculâ, haud capitali literâ scribundum. Est enim verbum, non nomen. sensu manifesto. Namq; quis nescit, omnia hominum genera Acheruntè recipi, sine vllo vel ætatis, vel sexûs, vel etiã personarum discrimine

discrimine. promiscuè inquam; neque Orcum vnquam signare lineâ albâ?

Concludit porrò Puer iste Lenonius:

Ità vinariorum habemus nostra delectū domi.

Vinariorum, id est cauponum, siue œnopolarum. quomodo & Asinariâ:

Sed vina heri quæ vēdidi vinario Exareambo,
Iam prò iis satisfecit Stichò?

Estque quæsita à re militari translatio, in voce *Delectum*. Eò dico, ne quis forte *de Vasorum vinariorū multitudine* Synceraftum loqui autumet; Lambini auctoritate in fraudem inductus scilicet. *Vinariorum* porrò *delectum*, in ædibus Lenoniis familiam ducere quis nescit? denique vtrunque genus istud aptè copulatum ab Aurelio Victore (operâ atque industriâ politissimi Andreæ Schotti nuper in luminis oras producto) in vitâ inquam Gallieni, de quo hæc memoriæ prodidit:

Inter hæc ipse popinas, ganeasq; obiens, Lenonum ac vinariorum amicitiis hærebat, &c.

Rectè omnia atque ordine. & frustrà est adolescēs eruditus, qui *Vinarios* hosce temerè sollicitare; eorumq; in locum *Mimos* Gallieno obducere conatus.

Sequitur haud multò poſt:

Nam meretrices noſtræ primis hoſtiis Venerem placauere extemplo.

Quod quid ſit, haud ità vulgo obuium, bardo, bliteo, omniſque antiquitatis rudi. Vulgo dico. Enim Ælij & Perſij qui cluunt haud ſanè difficulter intelligunt, Synceraſtum velle dicere, Adelphaſium & Anteraſtilem meretrices, ſuo feſto die, nẽpe Aphrodiſiis, Venerem ſibi feciſſe volentem propitiam, id eſt, litaſſe, pacemque à patronâ ſuâ ac veniã impetraſſe haud grauatim, idque *Primis*, hoc eſt, *Præcidaneis hoſtiis*; neque iis ſuccidaneas ſubiici porrò opus fuiſſe. Ità enim ex Feſto interpretor in voce *Præcidaneas*. quem vide. Nam de Lambini Commentariis quod ſperes, minus nihilo eſt. Ità ſuper *Primis hoſtiis* verbũ nullum, haud magis vtique quàm ſi Agenoriæ, non Veneris ſacris operatus litaſſet.

Habes ibidem:

Facio quod manifeſtò mœchi haud fermè ſolent.

Haud fermè: Loquutio Salluſtio frequens ne dicam ſollennis. neq; aliunde explicatio petenda. Vide Notas ad

eundem

eundem noſtras. Miſerum verò, vel cæcum potius hocce loco Lambinum, qui probiſſimâ ſcripturâ (vti apparet) repudiatâ, pro *Fermè*, *Ferre*, obiectare nobis veritus non eſt.

Sequitur eâdem Scenâ aliquanto pòſt, Milphionis iocus nimium ſcurrilis, id eſt, vrbanus, vt quidem Veteres loquebantur. Nam quùm inueſtis ille puſio eidem iculariter præiuiſſet:

Sine pennis volare haud facile eſt, meæ alæ pennas non habent.

Prouerbiali ſchemate (quo idem quoque Aſinariâ vſus antea) Milphioni fidem facere conatus, ſe quidem Lenonem Herum ſuum ſummis opibus atque induſtriis (quantum adeò in ſe eſt) diſperditum ac tantum non eradicatum cupere: cæterùm facultatem haud ſuppetere ſibi, viribuſque deſtitui, quò minus id quod cupientiſſimè iampridem cupit, ad exodium effectumque ducere ac perpetratum reddere poſſit; ſubiicit nequiſſimus plagitriba, præter omnem exſpectationem ex docti dicti inſolentiâ riſum aucupans:

M I. *Nolito ædepol deuellisse, iam duobus mensibus volucres tibi erunt hircinæ.* alludens credo ad pilos subalares, hoc est, primam illam & quasi musteam sub alis, siue axillis erumpentem lanuginem, quem Florem indigitat Maro; quas Axillas puer ille aliouorsus applicatas (vti dictum modò) pennarum inopiam pati, Adagionis specie fuerat conquestus; easq; ipsas breui fore auguratur, vt volucres fiant, id est, flore illo Virgiliano, primâque adeò lanugine per ætatem, veluti plumis & pennis quibusdam vestiantur. *Hircinas* contemtim appellat, ad hircũ subalarem, id est, alarum virus obliquè ac dissimulanter respiciens. Nam quod hallucinatur Lambinus, innuere Milphionem, Syncerastum cis menses duos loris de corio hircino factis vapulaturum, frustrà est. & profectò Interpretis caussâ mallem, vt volaticam istam alarum Metamorphosim potius ad protritum illud seruilis supplicij genus accommodasset; quo tenebriones malam rem commeritos, sublimes raptos vereq; superbos redditos; inter terram

atq; cælum medij vt essent, faciebant; manibus post terga ad trabem sursum adductis (id quod de Asinaria eiusdem videor condidicisse) tanquã in equuleo distentos, æquo ad pedes cẽtupondio alligato: ità vt dispenni, auiumq; inuolucrium exemplo, primis quasi volatibus instrui viderentur; prorsus, huic generi consimiles, è nido primitùs euolare gestientium. Quæ sententia & arguta oppidò fuerit, & concinna, & fortasse etiam priore illâ nostrâ haud paullò probabilior. Itaque, sequatur quisque quod volet. Ego quidem meâ ex parte auctoritatem nullus defugero posteà.

Scenâ? *Quis pultat?*

Namque hodie earum mutarentur nomina,

Facerentq; indignum genere quæstum corpore.

doctissimus Alciatus παρέργων x. obseruauit mulieres, quæ meretricium instituerent quæstum, nomen mutare consueuisse, ex hoc Plauti loco. Cui callidissimæ animaduersioni ista quoque ex Aristeneti Eroticis, me porrò monstratore, fidei causâ adtexi poterũt haud παρέργως: Μελισσάριον τὸ ἀγλαΐδιον,

» δος, νὴ τὴν Ἥραν ἀμφιέσιν ὀφθαλμοῖς εἶδες
» ποτὲ καὶ νῦν εἶδεν ἡ τύχη, καὶ τῆς σκηνῆς
» ἀπαλλαγεῖσα, παγκάλως ἐπὶ τὸ σεμνὸν με-
» τήλλαχε προσηγορίαν ἅμα καὶ σχῆμα. Et post
» Epist. eâdem: ἀρτίως οὖν παραλαβομένη
» σεμνὴν ἐφεστρίδα γέγονα, παρὰ τῇ Πυθιάδι.
» τοῦτο γὰρ μετακέκληκεν ἑαυτὴν, &c. Quò
item spectat cautio illa sub finem Epi-
» stolæ apposita: φυλάττου δὲ γλυκυτάτη, μὴ
» μεταξὺ παρεληλυθυῖα τῇ συνηθείᾳ μελιστά-
» ζειν τὴν νῦν Πυθιάδα προσείπῃς· ὁ μικρὸς
» πέπονθε νὴ τὴν Δίωνα. εἰ μὴ γλυκερὰ παρ-
» οῦσα λάθρα με διένυξε τῷ ἀγκῶνι. Vnde iti-
dem docemur, eas quæ capturis quæ-
stuique meretricio renunciabant, li-
berum sibi ingenuumque nomen,
priore illo cum persona deposito, as-
sumere solitas antiquitus,

A D

A D P OE N V L V M.

CAPVT VI.

Exemplum alicunde sumere, seu expetere sibi. *Cur* Numerò, *vel*, Puncto quid fieri *dicatur, ex Macrobio erutum.* Scurræ. Multam indicere. *Plautus multoties explicatus; interibi etiam correctus.*

SCENA: *Fuit hodie operæpretium*, &c. Agorastocles voti compos aliquando factus inducitur; Speratam suam, quî cum brachialem in neruum condiderat sese (amantes vt solent) hoc elogio per exclamationem & apostrophen poëticè extollens:

O Apella, ô Zeuxis pictor,
Cur numerò estis mortui? hîc exemplum vt pingeretis.

Sed remouenda interrogationis notaè medio, & sub finem versus transferenda; legendumque fortasse: *Hinc exemplum*, vel certè, *Hoc*. Dicimus enim, *Exemplum petere*, vel, *sumere* alicunde. Auctor sententiæ meæ Festus, huiusdem exempli laudator; quod mirum ne à

Persiis quidem animaduersum, qui locum SANVM SARTVMQVE cicatrice obducere sunt conati.

Caussam verò loquutionis istius, quâ Numero, prò Nimium citò, vsurpatum docemur à Festo, haud aliunde certius vel melius, quàm ex II. Macrobij in Somn. Scip. libro planum fieri posse existimo, vbi scribit:

His Geometricis rationibus applicatur natura numerorum. Et μονὰς, Punctum putatur: quia sicut Punctum corpus non est, sed ex se facit corpora; ita μονὰς, Numerus esse non dicitur, sed origo numerorum. Hactenus Macrobius.

Atque hinc, *Puncto* aliquid, & *Numero fieri*, dixisse coniicio veteres, ac pro iisdem planè vsurpasse. indidemque natum fortasse etiam verbũ illud vetus: *Ingenium habere in numerato.*

Scenam sequentem, non mediocri ædepol iracundiâ, verùm hercule Æacidinis animis expletus incedens, exorditur Anthemonides Miles. Minam suam hisce minaciis vlturus.

Si ego minam non vltus fuero probè, quam Lenoni dedi,

Tum

Tum profectò me sibi habēto scurræ ludificatui.
Is etiam me ad prandium ad se adduxit ignauissimus.

Quorum & omnium & singulorum explicatio petenda à Scenâ superiore, cui initium est, *Dii illum infælicent*, &c. De Minâ enim loquitur Miles, quam ab eodem accepisse ibidem suprà fassus fuerat Leno, & quidem his verbis.

Mina mihi argenti dono postillà data est.
Sed quæso vbinam illic restitit miles modò,
Qui hanc mihi donauit, quem ego vocaui ad prandium?

vbi *Prandij* quoque mentionem fieri videmus. Quò itidem spectat alterius Scenæ principium, ex eiusdem vocatoris personâ pronunciandum posteâ:

Iam istuc ego reuortar, miles: conuiuas volo
Reperire nobis commodos, qui vnà sient.

Iam de *Scurrarum ludificatione* quod dixerat Miles, ad vetustioris consuetudinis notionem trahendum: quâ *Scurras*, id est, homines vrbanos, (quos *Assiduos ciues* in Trinummo perhibet hic noster) militari hominum generi opponi solitos ad principium Epidici commonefecimus suprà.

Illò,

Illò, vndè abiimus, redeamus. Subdit Anthemonides,

Ipse abiit foras, me reliquit pro atriensi in ædibus,
Vbi nec Leno, neque illæ redeunt, nec quod edim, quicquam datur,
* *Pro minore parte prandij pignus cepi, abij foras.*

* *Quid si, Pro minâ experte prandij legavius?*

Illæ; hoc ad meretriculas Lenonias, Adelphasium dico & Antherastilem, referundum: è quibus alteram, meretricem nempe minusculam addici sibi, vtpote festo die Aphrodisiis à Lenone in cõcubinatum stipulatus fuerat Miles, simulatque à re diuinâ lautæ reueniſſent domum, Scenâ quam citauimus modò. Petitionis verba sic sonant:

A N. *Tum tu igitur die bono Aphrodisiis*
Addice tuam mihi meretricem minusculam.

Antherastilidem designans. Quod autem addit Anthemonides, *se pro minore parte prandij pignus cepisse*, significat se nesciò quid ex ædibus Lenoniis manticulatum, hoc est, prædam de prædone abstuliſſe, milites vt consueuêre. quorũ manibus adeò gypsatissimis, ne miluinis vngulis dicam, lege sanctum

est

eſt nihil, harpagare ſemper, quâ ſacrum, quâ publicum occupantes, ex diſciplinâ. Felices, qui periculum non fecere.

Sic dedero verò ex altero eiuſdem Comici loco interpretandum, vbi ait:

Hem, ſic datur, ſi quis herum ſeruus ſpernit.

Poſtremus eiuſdem Scenæ verſus ità procuſus legitur:

Iniuriarum multò induci ſatius eſt.

Vnde Lipſius noſter princeps exſculpſit: *Multam dici.* Inſanè bene, niſi quod *Indici* malim, propius ad formulariam lectionem accedente coniecturâ. Sic, *Indicere bellum*, Latini; & Plinius Nepos, *Indicere multam*, fabulatus alibi.

AD PERSAM.

CAPVT VII.

Persa aliquammultis locis enucleata & emaculata. Domi, &, In mundo esse, *eadem. Eam in rem Dionysii interpretatio, οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον, explosa. Lucilij fragmentum, ex Charisio Grammatico, corruptißimum de Chirographo Codice restitutum; eâdem enarratum. Turnebi opinio reprobata. Eiusdem sententia, de verbi* Madere *significatu, succidaneis aliquot Auctoritatibus à Catone, Varrone, Arnobio, ipso denique Plauto confirmata.*

VT propositum meum est, atque vt huic vsus facto est, telam quam exorsus sum semel ad terminos vsq; detexere properabo; ne Toxili amoribus moram creem, quos pòl ego manumissioné iampridem efflagitare video. Sed id factu quàm difficile fiet, equidem haud sum falsus; quando neque

neque otij ſollennitas, imò nec res quidem, vnde id curari ſatis commodè poſſe rear, alicunde ſuppetat mihi. Ità nos vndique opum atque ingenij auxiliares pòl deſerunt copiæ; ſic vt nihil iam melius in rē meam eſſe iudicem, quàm vt doctum aliquem & callidum adiutorem ad hancce rem quæram, quem adiungam mihi. & quem quæſo potius, quàm ipſum Toxilū, ad quem negotiolum iſtud vniuerſum, cuiuſcunque modi videtur, propriè ac ſingulariter ſpectat? Equidem conſilium placet; cui vt principium quoque reſpondeat, agedū adiiciamus animum obſecro ad verba illa; ac conſideremus porrò, an ſatis adiutori illi, quem dixi, meo, à Sagariſtione argentū mutuum roganti conueniant:

TOX. *Nempe habeo in mundo?* Ego certè, *Habes* malim, totidem literis, ſicque haud paulò ſanè melius conſtatutum, id quod Sagariſtio eidem deinceps reſpondet:

SA. *Si id domi eſſet mihi, iam pollicerer.*

Domi enim, & *In mundo* eſſe eadē apud Plautum atque eius ætatis ſcriptores.

& ridiculus hoc loco Lambinus noster, qui iocum subesse hariolatur, adiectâ à se insuper interpretatione, nempe *eos in mundo habere dici, qui nihil habent domi.*

O glossam insipientem & inficetam!

Ad ea quæ præcessere ὕστερον πρότερον transiliamus:

S A. Vide modò, vlmeæ catapultæ tuum ne transfigant latus.

Aptum, & seruili personæ conueniens responsum, quoniam dixerat Toxilus:

Cupido sagittâ cor meum transfixit.

ne videlicet à metaphorâ, quam nequissimus amator ille à sagittariis ductam cógerroni præiuerat suo, temerè recedat Sagaristio. Notanda etiam, quâ ad verba, quâ ad sententiam, illa haud seruilis sanè serui hominis de amore excusatio:

T O. Quid ergo faciam, Dîs ne aduorser, quasi Titani, cum Dîs belligerem,

Quibus sat esse non queam?

Eam ex hisce Charisij glossis interpretari lubentia incessit mihi:

Satis (inquit) *diuersè accipitur,* ἀντὶ τοῦ, *Par.*

Lucil.

Lucil. *Cui si cum iure populus vix totu' satisfit.*

Ità enim Editiones nostræ, septuoso, imò nullo potius intellectu. quid mirum? Scripturâ adeò contaminatâ? Cui malo remedium tamen à Chirographo Codice inuenire possum, si mihi operam datis, huiusmodi correctione:

Cui, si coniuret, Populus vix totu' satis sit.

vt dicat Lucillius, de potente nescio quo ac rerum potiente loquens: Cuius hominis tantus dominatus est, ea factio ac potentia, vt etiamsi vniuersus Pop. Rom. in vnum conglobatus, animis consentientibus conspirans, atque in commune ad liberandam Remp. consulens, opes de compacto inter se consocient, viresque contrà pariter opponant suas; tamen ne sic quidem pares, nedum superiores, esse possint, ad resistendum scilicet. Et fortasse ad I. *Satyrarum* Lucillij *librum* pertinuerit hic versus, *in quo* Dij *Concilium habere inducebantur, & de interitu Lupi cuiusdam in Repub. ducis agitare,* teste Seruio. Habes mox:

TO. *Si tute tibi bene esse potes pati, veni, vi- ues mecum*

Basilico accipere victu. SA. *Vah, iam scapulæ pruriunt,*
Quia te istæc audiui loqui.

Quod Sagaristionis responsum ità porrò explanat Dionysius nobis: *Vah, iam scapulis tuis verbera impendent.* proinde ac si Sagaristio malum collegæ suo ominetur, si quidem domum herus eius reuenerit modò. Quanto verò facetius, vt sibiipsi virgidemiã in mundo esse, siquidem amici sui Toxili monitis auscultare moremq́ue porrò gerere, seq́ue obsequentem facere insistat, potius præsagire atque augurari velle dicamus Sagaristionem? cuius equidem rei sexcenta amplius exempla passim apud Plautum fuerit repertare.

Legitur sub eiusdem Scenæ exitum ex personâ Toxili:

Obsecro te, resecro, operam da hanc mihi fidelem.

Quo in loco seorsum à Turnebo sentire cogor, qui *Resecro* istud, quod in medio est, Sagaristioni transscribendum autumat. Et profectò mecum facit locus Aululariæ, vbi disertè expressum legitur:

Resecroq́ue

Resecroq́ mater, quod dudum obsecraneram.

At quantò melius idem vir ille, quem honoris caussâ nominaui, solertissimus, secundâ exhinc Scenâ de *Collyris* & *Colliphiis* meritus videri potest? quæ ne cruda Saturioni in mensam apponerentur, sedulò hercule effecit, vt probè in scutris anteà percoquerentur. Hoc enim *Madere*, esse, liquidò ex Menechmo nobis in Aduersariis suis ostendit. Neque aduersatur opinioni vtriusque nostrûm, id quod deinceps subiungit esuritor Saturio:

Nihil sunt cruda, nisi quas madidas glutias.

Cui insuper confirmandæ opportunè se offerunt illa Varronis verba ex lib. IV. De Ling. Latin. *Dictum Assum, quod ab igne assudescit, & ideo sudandum assum distillat calore.* Adde à Catone cap. IV. De re rusticâ, *Libram alicæ in aquam indito, facito vti bene madeat.*

Sed enim nihil hæc omnia, præ quod lib. II. Aduersus Gentes nobis proditum ab Arnobio:

Cum Romulo Pompilioq́ regnantibus percocta planè & madida concremarentur Diis

exta, nonne Rege Tullo semicruda cœpistis & leniter animata porricere, priscâ obseruatione contemtâ?

AD PERSAM.

CAPVT IIX.

In Duris Capitonibus *emolliendis Lambini pertinacia repressa. Militi è Persâ lux facta.* Sapere multum ad Genium. *Eius loci illustratio ab Arnobio petita. Aliâ quædam non nimiæ rei.*

QVID verò esse dicam, quòd Saturio parasitus Scena II. *Maiores suos, Duros Capitones*, cognominatos prædicat? an, *quòd in comedendo pertinaces essent*, vti explicat Lambinus? Nugæ. Nam quæ (amabo) pertinacia esse in comedendo potest? quam si cuiuis rei potius, quàm Parasiticæ helluationi, tribui consentaneum videtur, ecquid relinquitur porrò, nisi vt aliunde rei huiusce interpretatio arcessatur? atque vnde potiùs, quàm ab delicatulis illis Plautinæ ætatis loquitandi formulis,

hoc

hoc est, vetustate ipsâ, quâ *Durum*, prò *Impudente, & improbo* perhibebant. Vnde & *Duros Capitones* hoc loco exponi licet, *Ore improbos duro ferreoq́;* (vti Terentius, Lucillius, ac Catullus loquuntur) hoc est, attritâ perfrictâque fronte insignitè præditos. Cuiusmodi Parasitos (genus quod improbissimum est) ad quæstum alimoniæ, & rem suam IVRE quasi PERPETVO obtinendam, habere imprimis ante cæteros conuenit. Allusum verò ad Capitonũ familiam, Romæ haud incelebrem iam inde ab antiquo, prouentu Iureconsultorum maximè. Repono ibidem:

Nunc huc introibo, visam hesternas reliquias,
Quierint rectè, nécne: num infuerit febris.

non *Quieuerint*, id quod omnes Editiones referunt nostræ. vt Senarij ratio habeatur, vnâ cæteroqui syllabâ redundantis.

Scenâ III. TO. *Lautum credo â balneis Iam hîc adfuturum.* SA. *Vt ordine omnem rem tenet?*

Probè. Ordo enim legitimus, vt cæna lauationem sequatur.

Ait ibidem Parasitus, aliud nihil

quàm hesternas reliquias somnians, quippe cuius animus iampridem in patinis erat:

SAT. *Memini, vt Murena & conger ne calefierent.*

Nam nimio melius oppectuntur frigida.

Atque hinc liquidò nimium fuerit intelligere illud in Milite, alioqui obscurissimum: *Pernam nihil moror,*

Aufer illam offam penitam, probus hic conger frigidus.

Cuius me hercule loci cum hoc ipso conlatio, incredibile est memoratu, quantum ad eorũ quæ præcessêre intelligentiam cõducat, illius præsertim: SAT. *Pernam quidem*

Ius est apponi frigidam postridie.

vnde & Martialis meus:

Cœnisq; tribus iam perna superstes.

Quod eò in rem suam multò aptissimè retorquet Parasitus, inanis, famelicus, & cuius *profundo*, hoc est, ventri gulæque inexplebili, ne vallatæ, vel miluinæ dicam potius, in solo rumine saburrando deditæ, pro spisso procedere omnia, nihilque satis festinari videbatur. Nam quum eidem spem speratam

ratam quidem, sed spissam nimium, *de reliquiis calefaciundis* lepidè fecisset Toxilus, hac pollicitatione:

TO. *At edes. nam iam intus ventris fumant focula.*

Calefieri iussi reliquias.

ille Esurio, haud Saturio adueniens, omnisque longioris moræ impatiens: Ego verò, (inquit) calefactas istas reliquias non moror, quin maturè potius iam ex hoc loco ad turbucinandum quantum potest calceatis dentibus accincti; pridianæ pernæ apposit u, dum manè est, prælium committere approperamus. quippe cuius festiuæ oppidò reliquiæ, frigidæ, quàm recoctæ iucundius eant in ventrem. ideoque eam (Pernam dico) heri in posterum porrò diem seruatam, in rem ventris mei sanè conducibile fuit. Cui consentaneum consilium istud super *Murena* & Congro, quod sequitur, citatum à nobis modò.

Illud verò ex personâ eiusdem Parasiti prolatũ: SA. *Sapis multùm ad Genium.* prò me Arnobius interpretaturus tibi lib. IV. aduersus Gentes: vbi huiuscemodi

modi virtutum proprietates Genio peculiariter speciatimque assignatas inuenias: *Et quid (quæso) vt faciat, Præsidatum focorum Deus iste sortitus est? Per humani generis coquinas currit, inspiciens & explorans quibusnam lignorum generibus suis ardor in foculis excitetur: habitudinem fictilibus contribuit vasculis, ne flammarum dissiliant vi victa; curat vt ad sensum palati suis cum iucunditatibus veniant rerum incorruptarum sapores, & an ritè pulmenta condita sint Prægustatoris fungitur atque experitur officio*, &c. Quod quidem postremum ad Plautina hæcce illustranda vniter atque vnicè facit.

Definit ibidem Saturio, cuiusmodi esse condeceat hominem parasitum, aiens: *Cynicum esse egentem oportet parasitum probè.* Ità cum Turnebo Lambinus, at in Camerarij editione est, *Cynicam esse gentem*, &c. Vnde mihi in mentem venit, fortasse Plautum scripsisse:

Cynicâ esse è gente oportet Parasitum probè.

sensu pleno, atque adeò eleganti.

Sequitur deinceps:

Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, palliū,
Marsupium habeat, inibi paulum præsidij
Qui familiarem suam vitam oblectet modò.

id est,

id eſt, parcè ac duriter ſuſtentet;

Victu parabili atque inempto ſcilicet,
Quoties domi illi victitandum de ſuo.

Sic Aſinaria:

Sordido vitam oblectabas pane, &c.

Quamobrem verò in Paraſiticæ ſupellectilis apparatu, familiam & quaſi pompam ducant, *Ampulla, & Strigilis*; explicat nobis vnicus pol ſæculi noſtri Phœnix, Ioſephus Scaliger, magni illius Herois filius, in Coniectaneis. Vide præterea Aduerſaria induſtrioſiſſimi Turnebi. Atque hoc illud eſt, quod in Sticho quoque friuolorum ſuorum Auctionem, ſe quidē digniſſimam, ſimul Præconis compendium facturus Gelaſimus, in cætero rei Paraſiticæ inſtrumento recenſendo, ſubdit denique:

Rubiginoſam ſtrigilem, ampullam rubidam,
Paraſitum inanem, quò, (id eſt, in quem) *recondas reliquias.*

Ait eâdem Perſæ Scenâ, à Toxilo de filiâ ſuâ vendundâ perſuaſus Saturio:

Iam faxo hîc aderunt. (ornamenta ſcilicet) *ſed ego horum nihil ſcio.*

Hoc eſt, Ex re & meâ & tuâ fuerit

maximè

maximè; atque huic ſycophantiæ noſtræ vel inprimis conducit, vt ità me aſſimulem, quaſi ſim peregrinus; quaſiq; horum, quæ præmonſtraſti mihi, nihil quicquam ſciam. Ita rem omnem accipiendam paret ex reſponſo Toxili, cui perperàm Interrogationis notam adſtruunt tam Lambini, quàm Camerarij Editiones. Etenim cum puncto ſcribundum, hoc modo:

Tox. *Nihil hercle verò.*

vt ſit Paraſitici conſilij ſuccidanea quaſi approbatio.

AD PERSAM.

CAPVT IX.

In Plautina quadam loca diuinationes meræ; quà ad verba, quà ad ſententias; præter mentem Interpretum. Peculiabo, Peculium, *in obſcœnis intellectibus.* Aliquî *ablatiuus.* Inebra. Decet, *cum dandi caſu ſociatum.*

SCENA. *Satin' hæc tibi ſunt plana,* &c. Pægnium puer cum Tabellis mandatiſque à Toxilo ad Lemniſelenam, amores

amores eius, missus: post aliquantam verborum cōmutationem (sicuti hoc hominum genus consueuit) dimitti sese postulans, ait tandem:

PÆ. *Tum igitur sine me ire.*

cui respondet Toxilus:

TOX. *Et iubeo, & sino.*

* *Sed ità volo te curare, vt domi sis, cum ego te esse illi censeam.*

*Sic *Amphit.* Iam hîc ero, quùm illic censebis esse me.

Septuosâ sanè edictione innuere volens, properato opus esse; ideoque eum velle se in mandatis accurandis atque exsequendis eo vti studio ac celeritate, vt citius confectum sit negotium, quàm inchoatum esse, cuiquam adeò mortalium credibile videatur: vtque re ex sententiâ patratâ redux compareat prius, quàm à Lemniselenâ remissus atque absolutus censebitur Toxilo. Quod quidem iocosum ac lepidum nimis contubernalis sui mandatum in serium conuortens, atque aliorsum interpretans Pægnium, assimulat subdolè domum rursus vorsoriam capere decretum sibi; neque quò iussus erat, quòque intenderat anteà, velle iam vlterius proficisci; proinde sic quasi

edixisset

edixiſſet Toxilus: *Vſque domi meæ mantes volo, vt apud nos ſis, quum te apud Lemniſelenam eſſe, ibiq; mandatis rebus prævorti, ſeduloq; imperium noſtrum exſequi, falsò ac nequicquam arbitrabor.* Igitur ſubiungit ſtatim, velut dicto eiuſdem obediens, ſcelus ille pueri: PÆ. *Faciam.* Cuius ſubitæ adeò atq; inopinæ vorſoriæ, malæque ac præpoſteræ morigerationis cauſam demiratus Toxilus, quæritare pertendit porrò: *Quò ergo is nunc?* moleſtè videlicet ferens, ſic contemtim imperium ſuum negligi, præſertim à puero; ſeriasque amationes ſuas bouinatori illi bilingui curæ non eſſe. Scio hæc longè aliter à Lambino enarrari. Sed nobis Atilianum illud ſtat ſequi: *Suam cuique ſponſam, mihi meam.*

Eâdem eundem Pægnium compellans Toxilus, doctiſſimique pueri malitiam ſeruiliter collaudans, ſtimulare pergit porrò hac pollicitatione:

TO. *Scelus tu pueri es, atque ob iſtam rem ego aliquid te peculiabo.*

id eſt, vti vult Lambinus, *aliquo te peculio donabo, atque ornabo.* parum (vt mihi qnidem

quidem videtur) ornatè, neque ex sententiâ impurissimi serui, qui in vocis eius ἀμφιβολίᾳ lusitans, hoc opinor dicere voluit: Pro culcitellâ te vtar, haheboque, proinde vt dignus es; *Peculióque*, quod nosti, *Nuculam, an Confixum te faciam.* *Peculium* enim, inter Romana nequitiæ vocabula vsurpatum antiquitus, Testimonio est illud è Carmine Libero: *Pulcrè pensilibus peculiati.* vbi de vasatis probè ac mutoniatis est sermo. Alterum item è Satyrico Massiliensi;

Prolatoq; peculio cœpit rogare stuprum.

Sed planius Plautus ipse in Pseudolo suâ:

Mea hæc habeo omnia, meo peculio emta.

Ps. *Nempe quod femina summa sustinet.*

Cæterùm videtur emendandum: *Aliquî te peculiabo*, prò *Aliquid*. Aliquî, id est, aliquô, auferendi casu, seu aliquâ re potius. Sic loquutus & Truculento ex personâ amatoris Rustici, delicias in amicâ vrbanâ faciuntis huiusmodi:

Quanquā ego tibi videor stultus, gaudere aliquî me volo. [*aliquî gaudeo.*
Nequicquam es lella, malo tuo nisi simitu ego

g id est,

id eſt, aliquo modo, ſeu aliquâ re.

Quæ poſtrema tamen copulatiuâ particulâ defecta, ſimul interpuncti vitio laborantia, huiuſmodi curationis indigere cenſuerim:

Nequicquam es bella, & malo tuo, niſi ſinitis: ego aliquî gaudeam.

Eâdem Scenâ verſus ille Pægnij, in Sophoclidiſcam fortuitò obuiam incidentis perſonæ tributus, vacillat in fine:

PÆ. Commorandum eſt mihi apud hanc.

Cui lacunæ explementum tamen reperiſſe me gaudeo in Editione Lambini, addito ſubſtantiuo; *Obicem* dico, id eſt, Remeliginem, quæque inſtar obicis eſt mihi, remoramq; adeò incommodè obiectat nobis. Sed enim quum nulla additamenti eius ratio in Scholiis Lambinianis cõpareat, quid graue, ſi locum de mendo aliquantò habeam ſuſpectiorem? inde, opinor, nato, quòd (vti aliâs compluries demonſtratum) ignoratione antiquitatis, an ſciolorum audaciâ, pro ingenij ſui captu paſſim cõmutantium ſcripturas, gloſſema forte in contextum irrepſerit.

Quod

Quod si libros auctores haberem, maiorque esset elementorum similitudo, haud illibenter hercule sim repositurus: *Apud hanc inebram.* Hoc enim haud paulò inuidiosius, quàm obicẽ: tametsi idem propemodum significans. Et verò quis nescit *eas aues, Inebras, volitari solitas, quæ in auguriis aliquid fieri prohiberent.* Atque adeò, quùm recogito, prorsus *omnia Inebra appellata, quæ vel tardant, vel agentem aliquo modo remorantur.* Auctor Festus.

Obseruato ibidem, *Decet*, cum Datiuo positum istoc versu:

Fateor ego profectò me esse, vt decet Lenonis familiæ.

id est, vt Lenonis familiâ, vel eâ quæ in eiusmodi domo, tanquam in lutulento cœno, versetur, an volutetur potius, condignum esse deputo. Sic sæpe alibi, & in Amphitruone:

Capiam ornatum, qui potis decet.

Sequitur paulò posteà:

Nihili facio scire, valeas.

So. *Asta.* Pæ. *At propero.*

Mihi verò concinnius fore videtur, vt diuisim rescribatur. So. *At Sta;* magisque adeò Pægnij responso conueniens;

veniens, idem per deridiculum (vti solet) imitantis, & par pari respondentis: nimis quàm oppidò festiuiter. Nec multò infrà quum dixisset Sophoclidisca:

Tu quidem haud etiam es octoginta pondo.

ætatulæ eius teneritudinē certis ponderibus ac librarum numero circumscribens, subiicit statim delitiæ ille Pueri: PÆ. *At confidentiâ*

Illa militia militatur multò magis, quàm pondere.

Militiam Veneris intelligi volens. Atque hoc est, quod de se etiam Magister Amoris ille in Eroticis haud indisertè profitetur:

Pondere, non neruis corpora nostra carent.

AD

AD PERSAM.

CAPVT X.

Festiuus iocus Pægnij explicatus. Bonæ, malæ res. *Loco Persæ, qui in morbo cubitauit hactenus, curatio adhibita. Duûm exemplorum Propertij cum Plautinis contentio. totidem Iuuenalis. Nouus mos, post manumissionem, Diis supplicandi, in Scenam prolatus. Alia quædam moneta non protrita.*

NON committam, vt meâ negligentiâ festiuum illud atq; vnum de dictis melioribus Pægnij, quo tacitè Sophoclidiscæ impudicitiam sugillat delicatus ille pusio, hoc loco prætermissum credatur:

PÆ. *Atque ego nunc hanc operam perdo.*
SO. *Quid iam?* PÆ. *Quia peritæ prædico.*

Peritæ, id est, sæpe iam viri, imò tauri ruentis in Venerem pondus expertæ, atque in palæstrâ meretriciâ versatæ, omnibusque modis exercitæ. Nam pluribus eius ioci sententiam vt exponam, mera insipientia est. quum

 hoc

hocipsum in Pænulo satis disertis verbis ipsemet faciat Poëta noster; vbi scribitur:

MIL. *Omnem operam perdis.* SI. *Quid iam?* MIL. *Quia doctum doces.*

Quod ne & nobis hoc loco ab Milphione aliquo obiectari possit, ædepol præcauendum est mihi. Quocircà me ab hisce regionibus in tutum melius est recipere, *Eleusipolim* putà, *Arabiæ vrbem*, *Plenam* (si modò Poëtæ est fides) *bonarum rerum, atq; antiquum oppidum.* Quod quidem ego nihil aliud esse opinor, quàm quod Ennium in Medeâ suâ Athenis Atticis tribuisse perhibet Varro, hoc versu verè Tragico:

Asta, atq; Athenas antiquũ opulentũ oppidum Contempla.

Bonas enim *res*, pro *Opulentitate* ab antiquis, sicuti è contrà *Malas*, pro inopiâ ac egestate acceptas, extrà omnem controuersiam esse deputo. Exemplum vtriusque habemus in vno Trinummi versu:

Bonis tuis rebus meas res irrides malas.

Verùm ad alia properemus, ne ex bonis rebus malas nimiâ nostrâ curiositate

tate faciamus. ad grauiora inquio, in quorum numero & hoc quoque quod ponam, aliquam loci partem opinione noſtrâ habere meretur:

Ac ſuo periculo is emat, qui eam mercabitur,
Mancipio neque promittet, neque quiſquam dabit.

Quid enim? mirum nî ad formulam *Legis mancipiorum* alluſit perſonatus iſte Perſa Plautinus, in quâ ſcribebatur:

VADEM NE POSCERET, NEC DABITVR.

Quâ de re conſulendus M. Varro lib. VI. de Lingua Latina.

Liceat per cauſſam interruptum Comœdiæ ordinem poſtliminio aliquando repetere; neque œconomiam à Poëta noſtro inſtitutam deſerere. Scenâ: *Penſum meum quod datum eſt,* &c. Pægnium ac Sagariſtionem interloquutores habet, quos verniliter mutuis inter ſe conuiciis velitantes inducit Comicus, hoc exemplo:

Non hercle ſi os præciderim tibi, metuam morticine.
SA. *Video ego te iam.* PÆ. *ita ſum quid id attinet ad te? At non ſum ita vt tu.*

Os præciderim, id eſt, ori capitiq́ue illuſerim tuo, Nolanum in morem. Plura non ſinit pudor. Cætera porrò ſtruice haud mediocri de Lambinianæ editionis fideliâ augeri poſſunt, à Camerario (vti videtur) præpoſterâ nimium, ne dicam ſcrupeâ religione, à reliquo corpore avulſa ac reciſa, ità membris ſuis denuò agglutinanda:

SA. *Video ego te iam, incubitatus es.* PE. *Ità ſum quid id attinet ad te?*
At non ſum ita, vt tu, gratis.

Cæterùm, *Incubitatus* illud, prò *Stuprato* (id quod vult Lambinus) poſitum, vereor priſcæ ac Romanæ monetæ vt ſiet; eò impenſius, quòd antehac nihil vnquam tale legiſſe commeminerim in Veterum ſcriptis. Scin? quid hariolet? *Intercutitus*, ſiue etiam *Impudicatus*, non *Incubitatus*, Poëtam noſtrum ſcripſiſſe, cum hacce interpunctione:

Video ego te. nam intercutitus es.

hoc eſt, inter cutem flagitatus, ac ſectorem paſſus. antiquo loquitandi more, cui fundus & ſubſcriptor locupletiſſimus Pompeius noſter, non Magnus, ſed Feſtus.

Habueramus paulo antè:

S A. *Scelerate, etiam respicis ?*

Vnde perspicuè palam rectè in Petronio, quod & suprà attigimus, procusum: *Scelerate etiam loqueris ?*

Ait ibidem Pægnium, malam rem, hoc est, plagas à Sagaristione metuens sibi, stomachosis verberonis illius minaciis verniliter in pauorem datus:

P Æ. *Abigis facile,*
Nam vmbra mea iam intus vapulat.

Sic Propertius & ipse Vmber, hoc est, lepidissimus Poëtæ nostri popularis:

Non ego, sed tenuis vapulat vmbra mea.

Quanquam hoc ipsum, ad monogrammam illam, vereque vmbraticam amantium speciem, potissimùm referundum res ipsa clamitat.

Scenâ: *Quæ res bene vortant, &c.* vbi Parasiti filia sermonem cum Patre, pòl haud parasiticum, nec meretricium ferens inducitur:

Vbi captum est flagrum
Dum tunicas ponit, quantâ afficitur miseriâ ?

Sic & Iuuenalis eâdem in re:

Periit libraria, ponunt
Cosmetæ tunicas.

Denique conterraneus ille huius nostri, productus à nobis modò:

Quas pastor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.

Sub finem Scenæ, cui initium:

Curate istuc intus, &c.

inquit Toxilus de amicâ Lemniselenâ, quam recenter ab Lenone pretio redemtam suo, priuamque ac suam fecerat impetrabilissimus conciliator:

TO. *Supplicatum cras eat.*

Vnde colligere est, morem antiquitus fuisse, vt serui pileo donati, siue etiam ancillæ post manumissionem supplicatum Diis irent, quorum virtuti ac benignitati potissimum libertatem acceptam referrent suam. magno religionis ac pietatis argumento.

Scenâ: *Cui homini Dii propitij sunt.*

Subiungit mox Dordalus Leno, de eâdem Lemniselenâ Toxilo venundatâ lepidè pòl solus secum argutias faciens sibi:

Sum lepidus ciuis, qui Atticam ciuitatem
Maximam maiorem feci, atque auxi ciui fœminâ.

Ad cuius imitationem lusisse etiam

Satyricus

Satyricus Aquinas videri poteſt, de Vmbritio ſuo ſcribens:

Laudo tamen, ſedē vacuis quod figere Cumis
Deſtinet, atque vnum ciuem donare Sibyllæ.

AD PERSAM.

CAPVT XI.

Cadere, *laſciuiore intellectu à Plauto vſurpatum. In eam rem Senecæ, tum Tibulli teſtimonia adducta, contrà præiudicatam viri doctiſſimi opinionem. Comici noſtri dictum cum Terentij compoſitum. Perſâ, duorum locorum correctio.*

SCENA. *Satin' Athenæ tibi viſæ*, &c. Inducitur tandem Leno, quaſi virginem conſolans, quam à ſimulato hoſpite pro captiuâ & ſeruâ (quippe cui iam antea à Toxilo perſuaſum fuerat eam ex Arabiâ penitiſſimâ furtiuam aduectam) quæſti ſui cauſsâ conciliare cogitabat, his vtens verbis:

DO. *Ne plora, libera eris actutum, ſi crebro cades.*

id eſt,

id est, siquidem inclinari te crebrò, ac muliebris patientiæ legem accipere sustinueris; ad tauri ruentis in Venerem pondus tolerandum scilicet. Dicto docto, & cuius lepore ne nostrum quidem Idiotismum, quo in Belgis vtimur hodie, expertem esse, indicio est Iocus ille παροιμιώδης, ex hocce Plautino (vti videtur) originem trahens, quo Veneres istiusmodi, quas haud difficulter sui copiam amatoribus facere, volumus significare; *Curto calci insistere* cauillantes, lepidâ sanè vernaculæ vocis compositione, **kortghehielt** perhibere consueuimus, quasi tu dicas: *Breuicalces*. Quò enim calcaneum breuius homini, eò ad supplantandum habilior atque ad resupinandum accommodatior videri solet. Easdem etiam ab eâdem caussâ *Comitiales* esse, hoc est, casabundas, siue ad casum procliues, imò recliues in tergum potius; rursùs, haud prorsùs dico; ac morbo (quem Caducum vocant) obnoxias, haud insulsè argutamur. Scio de hoc Plauti loco in diuersâ sententiâ esse alterum seculi nostri Persium; eiq; persuaderi

ſuaderi non poſſe, *Cadendi* verbum, Latinos ſic abuſos. Sed verò nobiſcum facit exemplum vetus, quod à Senecâ Patre 11. Controuers, citatur in hæc verba:

Othonem Iunium patrem memini colorem inſulſum inducere, quod minus ferendum eſt, quòd libros Colorum edidit. Fortaſſe, inquit, pœnæ ſe præparauit, & ex quo peccare cœpit, cadere condidicit. De inceſtâ ſaxo deiectâ, & quum incolumis euaſiſſet, repetitâ ad pœnam.

Adde ſupradictis, quod non leuius valeat, Tibullianum iſtud ex perſonâ Sulpitiæ Cherintho, amaſio ſuo, obiectum:

Gratum eſt, ſecurus multùm quod iam mihi [*de me,*
Permittis, ſubitò ne malè inepta cadam.

Scenâ. *Probati hîc argenti.* Sagariſtio perſonatus ille Virginisvendonides Lenonem, qui de ſummâ, quam pro emptâ (vt putabat) Arabicâ virgine debebat, binos ſibi nummos detraxerat, quo crumenam compendi faceret ſcilicet, hoc meritiſſimo hercle conuicio ac condignis Lenone cognomentis inceſſens inducitur:

SA. *Ne non sat esses Leno, id metuebas miser, Impure, auare, ne crumenam amitteres.*

Tale est Terentianum illud:

Eia ne parum leno sies.

Vide Asconium III. in Verrem.

Ait eidem Dordalus:

DO. *Heu hercle nomen multis modis scriptum est tuum.*

Sed puto corrigendum, *Multimodis* ex Lucretio: apud quem *Multimodis*, item *Omnimodis* habes non semel. quâ de re consule in Poëtam illum Commentarios Lambini; postremò, *Gifanij nostri indicem, cognomento Lucretianum?*

Nescio quàm alios malè habeat versus ille Toxili:

Vnde ego omnes hilaros, ludentes, lætificantes faciam vt fient.

Me certè bene habiturus est nunquam, nisi prius *Ludentes* istos, pro infrequente militiâ domum missos videro; &, *Lubentes*, sub signa denuò reuocatos: atque id iure postliminij; quo fretus iisce porrò aduocatus venire cupio; eosque haud difficulter Ius suum obtenturos confido, vti iusti & legitimi subdititiis istis, ac præ se *Ludio-*

rum

rum potius; quàm armatorum militum nomen ferentibus anteponantur. Sic enim meritũ est ipsorum. Nam caussam pro illis quid attinet dicere? quum in confesso sit omnibus, quotquot in veterum scriptis haud otiosè aliquando versati, *Lætificantes, Lætos, Lubentes, Lubentiam ac Lætitiam* denique, inter se sic quasi affines esse, ægerrimeque distractionem aut dissidium pati. non vt *Ludentes* hi, quibus vix vnquam quicquam cum *Lubentiâ* seriæ rei fuisse, seriò me hercule ac quouis pignore contendere sum paratus. Verumtamen ludum incidam melius est, ne quos reprehendo æmulari velle videar; ludosque ipse lectoribus meis facere.

AD PERSAM.

CAPVT XII.

De discumbendi ordine aliquid dictum. In Virgilianarum Mensarum *expositione à Turnebo dissensum. Lambini hallucinatio. Duûm Plauti locorum inter se contentio.*

SCENA ante vltimam, seruilis conuiuij descriptionem continet, cuius exhibitor ob rem bene atque ex sententiâ gestam Toxilus. qui postquam Lectulos ex more primùm adstitui imperasset, collegæ suo Sagaristioni de digniore loco vernaliter decedens iubet porrò eum in summo accumbere, vt ferentarium amicum æquum erat: quem honorem tamen alter ille modestè abnuens: *Ego vero*, inquit, *non moror, vtrúmne summum an infimum lectum premam.* Vnde manifesto dilucet, summi lecti ordinem in discubitu honoratiorem habitum antiquitus, quoties non nisi biclinium stratum erat. cuiusmodi Seruile hocce conuiuium fuisse euidentissima

dentissima est suspicio. His patratis reliquum erat, vt mensa ante vtrunq; lectum collocaretur, id quod mox deinceps fieri imperat Toxilus, pueris ritè adstantibus præcipiens:

Date aquam manibus, apponite mensam:

Quò item pertinet locus Asinariæ:

AR. Agedum decumbamus sis pater. DE. vt iusseris

Mi gnate, ità fiet. AR. Pueri mensam apponite.

Quæ eadem post cibum sumptum rursus remouebatur. argumento est Maronianum illud:

Postquam epulis exemta fames; mensaq́ꝫ remotæ.

Neque verò audiendi illi, qui falsæ Turnebicæ opinioni acceptores, *Mensas* apud Vergilium, pro Ferculis, magidisque ac lancibus, quas saturis conuiuis (quemadmodum & hodie fieri videmus) auferri ac sustolli mos erat, interpretantur. Nam & Ouidius Virgilio disertè in Heroidibus succētans ait:

Mensaq́ꝫ purpureos deserit alta thoros.

Item Amorib.

Iamq́ꝫ frequens ierat mensâ conuiua remotâ:

deniq; quotúsnam Poëtarum sollemnitatis istius expers? Pergit deinceps Amoribus suis facetum, comem, blandumque ac benedicum facere se Toxilus, vini eidem Magisterium deferens huiusmodi oratione:

Do hanc tibi florentem florenti: tu hic eris Dictatrix nobis.

Errat verò in loci huius explanatione Lambinus. De *Carolla* enim *floreâ* (iuxta illud Poëtæ supradicti:

Huic detur capiti missa corona tuo)

non autem de Puellâ ætate floréti Sagaristioni oblatâ à Toxilo (id quod ipsi commentum placet) intelligendum.

Scenâ nouissimâ argutū nimis illud:

DO. *Vritur cor mihi.*

TO. *Da illi cantharum, exstingue ignem, si cor vritur, caput ne ardescat.*

Ad quod exemplum est etiam illud Mercatoris:

Ni lacrymæ oculos defendant, ardeat credo caput.

Sequitur ibidem infrâ:

TO. *Age circumfer mulsum bibere, da vsque plenis cantharis.*

Sed videtur Infinitiuus *Bibere*, cum Impera-

Imperatiuo sequenti construendus, translatâ porrò interpunctione, hoc modo:

Age circumfer mulsum, bibere da vsque, &c.

pro, *Bibendum da.* Nisi si quis potius, *Puere* ἀντὶ τοῦ *Bibere*, emendandum existimet. Ad Pægnium enim cyathissantem directus est sermo, quem vinum sibi & conuiuis suis de pleno vsque promere iubet Toxilus.

Mox verò, vbi Leno Dordalus Toxilo ceterisque conuiuis imprecatur:

Dij faciant vt id bibatis, quod vos nunquam transeat.

Scito non vinum, sed venenum intelligi, manifestâ verborum circuitione ab effectu quæsitâ.

Hæc tam verisimilia esse opinor, quàm nos hæc scribere; sic tamen, vt si quis melius aliud, vel probabilius quod arcessat habuerit, facilè ad verum conuorti me sinam.

AD RVDENTEM.

CAPVT XIII.

Dona, Paces, in rebus diuinis. *Sententiæ Plautinæ cum Menădreâ conspiratio.* Polluctà pago. Polluctus virgis. Vrna literata. Tegillum, *vel* Tectum, *Togæ genus. Rudens declarata multoties, correctá semel.*

QVICVNQVE primitùs in animum suum induxerunt, versuum illorum fidem forcillare, qui in Rudentis Prologo leguntur:

Atque hoc scelesti in animum inducunt suum,
Iouem se placare posse donis hostiis,
Et operam & sumtum perdunt, &c.

ij mihi prorsus & operam & sumtum perdidisse videntur; dignissimi hercule, qui Nauiculatorum nostratium rudẽtes potius, quàm Plautinam Rudentem explicarent. Quid enim iis ineptius, quæ hoc genus hominum cõsomniarunt? de *Duonis hostiis* loquor, de *Hecatombis*, & ceteris huius ordinis, & quod haud ità pridem veluti corollarium

larium omnibus his insuper accessit, *Omnibus.* quo an aliud quidpiam somniculosum magis excogitari potuerit, haud sanè scio: nisi (vt meus est animus) fieri non posse arbitror. Quasi verò difficile fuerit diuinare, Coniunctionẽ illam copulatiuam (hinc enim prima mali labes) elegantiæ, vel energiæ potius, quàm vllius necessitudinis caussâ, per pòl sæpiculè à veteribus neglectam & prætermissam fuisse. Exemplis nihil opus. sunt enim in promtu, & quidem haud longulè ab hoc loco, verbi gratiâ:

PL. *Meámne ille amicam leno vi, violentiâ,*
De arâ deripere Veneris voluit?

Tum illud Mostellariæ:

Piscatu probo, electili.

Item tertium è Captiuis Tyndari:

Neque med' vnquam deseruisse te neque factis, neque fide,
Rebus in dubiis, egenis.

Et vno verbo vt dicam, efferta sunt huiusmodi scitamentis veterum Latinorum fercula. Cæterùm scio, quid prætereà hosce potissimum coniectores offenderit; nempe *Donis*, quòd vo-

cabulum istud sacris conuenire non putarunt. Quid mirum? neque enim illud Marcelli credo legerant: *Dona consuetudine hæc habentur, quæ aut propitiandis Diis dantur, aut hominibus pro benefactis redduntur.* multo minus Isidori illa: *Dona propriè Dei dicuntur, Munera hominum. Nam Munera dicuntur obsequia quæ pauperes diuitibus loco munerum soluunt. Ita munus homini datur, Donum Deo. Vnde etiam in templis Donaria dicimus.* Et mox: *Duo autem sunt quæ Diis offeruntur; Donum & sacrificium. Donum dicitur quicquid argento auroq́ue aut qualibet aliâ specie efficitur* (f. *effingitur*) *Sacrificium verò est victima, & quæcunque cremantur in arâ, seu ponuntur*, &c. Potin' planius, hac præsertim Tullianâ Auctoritate comprobatum II. de Legibus? *Impius ne audeto placare donis iram Deorum.* Sed valeant per me illi. Ad Arcturum Plautinum conuortamur: cuius sentētia de istis Menandri verbis haud dubitanter expressa:

Εἴ τις θυσίαν προσφέρων, ὦ Πάμφιλε,
Ταύρων τι πλῆθος, ἢ ἐρίφων, ἢ νὴ Δία,
ἑτέρων τοιούτων, ἢ κατασκευάσματα
χρυσᾶς ποιήσας χλαμύδας ἤτοι πορφύρας,
ἢ δι' ἐλέφαντος, ἢ σμαράγδου ζώδια,

εὔνουν

Ἐκεῖνον νομίζει τὸν θεὸν καθεστάναι,
πεπλάνητ' ἐκεῖνος καὶ φρένας κούφας ἔχει·
Δεῖ γὰρ τὸν ἄνδρα χρήσιμον πεφυκέναι,&c.

Pergit ibidem de ſe prædicare πολε-μιζόμενος iſte Arcturus:

Namq; Arcturus ſignum omnium ſum acer-rimum,
Vehemens ſum exoriens, cum occido, vehe-mentior.

Nihil verius. Atque huic Horatia-num iſtud adſtipulari videmus,

Nec ſæuus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hœdi.

Scenam vltimam Actûs primi ità exorditur Sacerdos Veneris,

Qui ſunt qui à patronâ preces meâ expetiſſunt?

Sequutus ſum Ioachimicæ Editio-nis tum auctoritatem, tum fidem; non quod eampſe omninò pro merâ ac Plautinâ agnoſcam; ſed verò vt, Lam-binianæ coniecturæ cum hacce Ca-merarij conlatione inuicem factâ di-ſpiciat porrò ac diiudicet haud inſci-tus lector, vtra alteri antiſtet ſcilicet. Mihi quidem Lambini haud paullò ſanè antiquior, hoc eſt, integrior vide-tur. Sic enim ille;

Qui ſunt qui à patronâ paces meâ expetiſſunt?

Doctè (animo meo) & probè. *Paces* enim ſolemnes in rebus diuinis, pro veniâ & gratiâ quàm à Diis immortalibus expetimus, accipi quis neſcit? Sic certè Lucretius:

Non Diuûm numẽ votis adit, & prece quæſit
Ventorum pauidus paces animasq; ſecundas?

Denique trecentis in locis Plautus; *Quæ nimis hîc longum dinumerare foret.*

Cæterùm de totâ hac re Succidanea ad Horatiũ noſtra, qui volẽt adeunto.

Actûs II; Scenâ III. vbi Trachalionis ſermoni, quoniam ille quidnam ageret interrogaſſet, ſubiicit Ampeliſca: *Ætatem haud mala malè.*

Malam, malim potius, vt pro Iuuentæ flore accipiatur; quæ *Bona ætatis* circuitione definita antiquitus. vt contrà *Senectus*, *Mala*. Sic idem Aululariâ:

Atque vt te dignam mala malam ætatem exigas.

atque alibi plus millies. Sed plures in re tritiſſimâ logos conſumere, ſegnities ſit mera.

Actûs eiuſdem Scenâ IV. Ampeliſca Sceparnionem ſeruum paullò familiarius

miliarius se attrectantem, manibus aspellens ac reiiciens à sese, hac insuper castigatione leniter refrenatum dimittit:

AM. Non ego sum pollucta pago. potin' vt me abstineas manum?

Ad quem locum iugis ille quantum est scientiarum thesaurus, Turnebus noster, *Polluctam pago*, interpretatur, *communem atque expositam pago, vt* (inquit) *in polluncto Herculis omnia exponebantur obuiis.* Ea verò explicatio quùm paullò duriuscula Lipsio nostro videretur, placuit duabus literis mutantibus legi:

Non ego sum polluta. apage. potin' &c.

Quomodo idem in re simili:

Pura sum. comparce amabo me attrectare Agorastocles.

Mihi verò aqua hîc hæret; atque eò magis, quod animaduorterim Plautum sirempse loquendi figurâ vsum Curculione; quo loco, *Polluctus virgis*, id est, vlmeâ virgarum strue cumulatissimè; ne dicam, *Pollucibiliter* MACTVS, seruili conuicio audit Palinurus Phædromi. Briardus tamen in Plautinâ lectione ædepol neque segniter, neque

ſomniculosè verſatus, *Polluta pago*, ma-
uolt. vt idem ſit ſenſus; tum longè ma-
ior vis & venuſtas; acerbiuſque homi-
nem ſeruum, quamuis vrbanum, ſic
quaſi Corydona aliquem; vel Stratila-
cẽ, pudendo ruſticitatis probro aſper-
ſum ſugillet Ampeliſca.

Scenâ ſequente cum ſacrâ vrnâ Ve-
neriâ, modò quã ab Ampeliſca acce-
perat, ſolus deſtitutus Sceparnio hæc
ſecũ diſputat, animi pendens anxius:

Nempe optimo me iure in vinclis enicet
Magiſtratus, ſi quis me hanc habere viderit:
Nam hæc literata eſt, ab ſe cantat cuia ſit.

Literata, id eſt, literas inſcriptas gerens,
vel potius Veneris imagine inſignita,
vnde ſacrificiis inſeruire ſignificetur.
id quod in omnibus Sacrorum vaſis
obſeruari ſolitum, ad Pliniũ ex Athe-
næo notat Hermolaus Barbarus. Apu-
leius quoque lib. VI. *Lacinias auro lite-*
» *ratas* fingit *Pſychen in Iunonis fano vidiſſe. Vi-*
» *det*, inquit, *dona*; (id eſt donaria): *ſpecioſa,*
» *& lacinias auro literatas*, (hoc eſt, literis au-
» reis inſcriptas) *ramis arborum poſtibuſq; ſuf-*
» *fixas, quæ cum gratiâ facti nomen Deæ, cui fue-*
» *rant dicata, teſtabantur.*

Scenâ

Scenâ vltimâ Actûs secundi, Sceparnionē suppliciter obtestatus Charmides (Siculum illum dico; qui naufragium vnà cum Lenone fecerat in mari) vt tecto sese infelicem vuidum reciperet, simul vestimenti aliquid aridi suppeditaret; ab misericorde illo hospite huiusmodi responsum refert:

SC. *Tegillum eccillud mihi vnum arescit, id si vis dabo.*

Ad quem locum respiciens Festus, ità narrat:

Tegillum, cucullinnculum ex scirpo factum. Plautus,

Tegillum mihi aret, id si vis dabo.

Cui exemplo illustrando haud parum conducere videtur Nonianum istuc: *Toga à tegendo; qua etiam Tectum dicitur. Titin. Geminâ: Si rus Syrus*

Cum scorto instituit ire, claues ilico

Abstrudi iubeo, tecti ne sit copia;

id est, *rustica toga.* Ita enim, meo iudicio, Fragmentum illud Titinnianū in Nonio emaculandum. Cæterum in Plautini *Tegilli* enodatione, de *fuste* quod cōsomniat Lambinus; frustra est. neque hoc loco locum aliquē habere potest.

AD RVDENTEM.

CAPVT XIV.

In Rudente explicandâ, enodandâ, nauè, haud ductariè, processum.

ILLVD verò Actûs III. Scenæ I. ex singulari Dæmonis personâ pronunciatum;

Concludo in vincla bestiam nequissimam,

ex Donato interpretandum, ad hocce Terentiani Chremetis dictum;

Conclusam hîc habeo vxorem sæuam.

ità commẽtante Actus v. Scenâ Phormionis primâ: *Illaturus, Sæuam, bene conclusam prætulit; vt si diceret feram.* Vnde suspicio est, ad Rusticum hocce, non Censorium M. Catonis de Canibus præceptum per ioculum fortasse Terentium nostrum respexisse. Exempli gratiâ: *Canes interdiu clausos esse oportet, vt noctu acriores & vigilantiores sint.* Quæ suspicio eò etiam validior, quòd maiorem partem Mulieres Scenicæ, præsertim dotatæ, *Oblatratrices*, ferè audiant in Comœdiis; Eumque qui Hecubam istiusmodi coniugio dignatam intrà præsepes

præſepes ſemel receperit ſuas, dies atque noctes ætatem cum cane, ſic quaſi Venatorem, exigere; haud feſtiuè minus quàm verè paſſim cauillentur tum Græci, tum Latini Dramatum compoſitores.

Eiuſdem Actûs Scenam tertiam ab iſtâcce muliebri querimoniâ, ſeu quiritatione potius, deſolata auſpicatur Paleſtra:

PA. *Nunc id eſt, quum omnium copiarum atque opum,*
*Auxilij, præſidij, * viduitas nos tenet.*

*forte viduertas legendum.

Haud abſimile huic principium Scenæ tertiæ Actûs III. in Captiuis ex perſonâ Pſeudophilocratis Tyndari:

Nunc illud eſt, quum me fuiſſe, quàm eſſe nimio mauelim.

& cetera quæ deinceps ſequuntur.

Habes ibidem ſub finem, Trachalionis apud patronam Venerem pro Paleſtrâ & Ampeliſcâ, haud ingratâ verborum Latinorũ ſimplicitate conceptam Deprecationem: in quâ illud examuſſim feſtiuiſſimum:

Te ex conchâ natam autumant, caue tu harum conchas ſpernuis.

Ad quem

Ad quem locũ ſcita Iuppiter,& nimis venuſta illa à Lipſio meo óbſeruatio; *Conchas, inter verba nequitiæ vſitatas antiquitus.*

Neque id tamen (vti ego ſuſpicor) propter id Concharum genus, quæ à Conchigenâ illâ almâ Æneadum genetrice, *Veneriarum* nomen ſortitæ (quarum mẽtio eſt apud Senecam) ſed verò ob alterum illud potius, quod à muliebris ſulci, hoc eſt, à matrum virginumq; naturæ ſimilitudine, *Virginaliũ* & *Spuriorum* titulo venit Apuleio. Quibus reſpondent *Veretilla* & *Faſcina*, eidem ab armis virilibus Latinè ſic indigitata. Nec abhorrens ab hocce tralaticio dicendi genere Idiotiſmus noſter. Ridiculum verò hoc loco Dionyſium, qui ad cõchas neſcio quas puellis muneri dari ſolitas votum Trachalionis multò lepidiſſimum, nec lepidè, nec tempeſtiuè accommodet; ex diſciplinâ exempli illius Ouidiani:

Munera fert illi conchas, tereteſq́; lapillos.

Vbi *Conchas*, baccas concheas, ſiue margarita; *Teretes lapillos* autem, Cylindros, ſiue Elenchos interpretor. Et hoc puta Vatem dixiſſe.

Scenâ

Scenâ proximâ, vbi Volcani violentiam Dæmoni minitatur Leno:

LA. *Ibo hercle aliquo quæritatum ignẽ.* DÆ. *Quid tum quum inueneris?*
LA. *Ignẽ magnum hîc faciam.* DÆ. *Quin vt tu manum exuras tibi?*

Quid ſibi velit, non hercle ſatis intellego: niſi fortè alludit ad illud, quod & nos hodie patrio ſermone quempiam ab incæpto, quod cum periculo coniunctum ſiet, reprehendere ac retrahere conantes, per Prouerbij ſpeciem vſitamur;

Siet toe / dat ghy uw' handt niet en brandt.

Quod ne & nobis hunc ad locum eueniat, nonnullum periculum eſt. Quare ad reliqua procedere, melius fuerit & conſultius, quæ quidem Doûſæ ex ſe minus pariant incommodi. Tale eſt, quod vltimâ Actus eiuſdem Scenâ comparet huiuſmodi:

Poſt huc redito, atque agitato hîc cuſtodiam.

Sic *Agitare vigilias*, eſt alibi; & *Excubias agitare*, identidem apud Salluſtium.

Quid verò docti illius dicti ſententiâ doctius?

Tibi obtigit, quod plurimi exoptant sibi.
LA. *Quid id est?* CH. *Vt id, quod quærant, inueniant sibi.*

Nempe & *damnum & malum*, idque pro malefactis meritissimo. Et verum me hercules est illud, quod velut ex tripode & lauro Flacci *fatur dictio*:

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Penè oblitus neglexerã; quod prius monitũ oportuit, Labracis illud Actu III. ad Dæmonem senem: *Iniqua hac patior cum pretio tuo*; haud absurdè prò eo sumi posse, quod crebrò aliâs iteratur à Comico, *Magno cum malo tuo*: quasi dicat minitans, non impunè illi abiturum; & nominatim in Casinâ:

Malo hercle vestro tam vorsuti viuitis.

Pretium enim pro *Pœnâ* à Poëtis identidem poni, nam quis vsque adeo hospes in Latio, qui ignoret? Argumento certè abundè fuerit Horatianum illud: *Aut pretium est mori.* Quemadmodum item è contrà *Pœna* pro *Præmio* à Propertio, felicissimo Hellenismi imitatore, accipitur lib. Eleg. III.

At postquam fera captiua est reddita pœnâ,

Fortem

Fortem illum Æmoniis Hectora traxit equis.

Huc accedit mutua Catulliani Epigrammatis eius conſpiratio, quod Ruſo inſcriptum legitur:

Ruſe, mihi fruſtrà ac nequicquam cognite amice,
Fruſtrà, imo magno cum pretio atq; malo.

Vbi *Malo* ſubſtantiuè poſitum accipio, quod pauci animaduerterũt. Quò item referre poſſis illud ex eodem Poëtâ tantum non ſeipſum interpretante:

Eris: quandoquidem meos amores
Cum longa voluiſti amare pœnâ.

Illud autem quod ibidem ex perſonâ amatoris Pleuſidippi antéceſſerat modò:

Etiámne in arâ tunc ſedebant mulieres,
Cum ad me profectus ire? Prò, *Cum profectus es, ad me vt ires*, vti Gallicano Interpreti placet; neſcio an ſatis Latinè dictum deputem. Quis enim quamuis in his literis peregrinus dictitare ſe poſtulet; *Proficiſcor ire quopiam.* Quocircà vide an magis credibile ſit, ſcripſiſſe Sarcinatem noſtrum:

Cum ad me profectus ires?

Quomodò & à Salluſtio ſcriptum videmus: *Quò initio profectus intenderat.*

Illud quoque, vt in Camerarij, & poſt Camerarium publicatis Editionibus legitur (haud dicam dolò) non placet.

* Id eſt, pro muliere Sic, Ob Aſinos argentum ferre, *Aſinar.* *Vide ſup. pag. 267.*

> LA. *Quid ego deliqui?* PL. *Rogas?*
> *Quin arrabonem à me accepiſti* * *ob mulierem, &*
> *Eam hinc abduxiſti?* LA. *Non anexi.* PL.
> *Cur negas.*

Et melius Lambiniana: *Qui arrabonem,*&c. interrogationis notâ ſub finem poſt τὸ *Abduxiſti*, repoſitâ. Sed enim fortaſſe ſcribendũ: *Quíne arrabonem,* &c. figurâ loquendi Latinis ſcriptoribus quamuis familiari, & (vt aliorum exempla breuitatis cauſſa præterfluere ſinamus) Plauto noſtro, in Milite:

> PYR. *Quem'ne ego ſeruaui in Campis gurguſtidoniis:*

Item Moſtellar. *Quomodo, peſſime, potuit?*
Quæ'ne ſubducta erat tutò in terram antehac?

Iterum in hac ipsâ Comœdia, de Vidulo ex perſonâ Gripi:

> *Quem ne ego excepi in mari?*

Bis Catullo denique in vno omnium belliſſimo

bellissimo illo hercle simul & grauissimo Poëmate, quod Pelei Thetidisque Nuptiis consecratum. Cuius Auctoritatibus citandis supersedeo. Sunt enim in promptu.

In postremo autem versu, *Abduxisti*, corrigendum censeo, numerorũ caussâ maximè, vna in Senario syllaba ne exuberet scilicet.

AD RVDENTEM.

CAPVT XV.

Paræmia Plautina ad Idiotismum nostrum accommodata. Neptuni templa. Salute horiæ. *Plautus apud Nonium emaculatus.* Vietor, *pro* Lictore, *nouo modo interpretatum.* *Correctionum triga.*

ACTVS quarti Scenâ I. loquitur secum Dæmones de Gripo seruo suo solicitus, qui *pabulatum*, id est piscatum de noctu profectus ad mare, per turbulentam tempestatẽ & operam & retia ludos prorsus facturus videbatur:

Vt tempestas est nunc, atque vt noctu fuit,
In digitis hodie percoquam, quod ceperit.

Elegans Prouerbialis Sermo, quo significatur, piscatorem inanem, hoc est, sine prædâ sineque squammoso pecu domum reuorsurum; ità vt verisimile sit, nullam eiusce rei caussâ solicitudinem vel molestiā herili coquo euenturam, ad Volcani violentiam, quod captum fuerit, adponendi; atque in ius vocandi porrò captiuos pisces, quò percoquantur scilicet ac permadeant probè. Eampse Parœmiam agnoscit & Idiotismus noster; quâ in re prorsus geminâ vti consueti, volgò perhibemus: Jck sach het wel aen myn vinghēren te braden.

Scenam proximam Gripus piscator ouans vitulansque sic exorditur:

Neptuno has ago meo patrono gratias,
Qui salsis locis incolit pisculentis,
Cum me ex suis pulcrè ornatum expediuit
Templis reducem, plurimâ prædâ onustum;
Salute horiæ, quæ in mari fluctuoso
Piscatu nouo me vberi compotiuit.

Quo loco, primò notandum, verbum *Incolit*, cum auferendi casu sociatum, virtute

virtute Præpositionis, quæ significationem (vt scimus) habet in loco: tametsi vsus sequutis temporibus obtinuit, vt non *Locis*, sed *Loca incolere* dicamur. Trecenta eius rei exempla de Plauto & aliis citare possim, nisi vererer studiosorum industriâ abuti in iis producendis, quæ pueri etiam decennes inuestigare per se nullo negotio possunt. Quare hinc ad *Neptuni* porrò *templa* contemplanda me recipiam melius est, quæ eâdem prorsus religione concepta mihi ac nuncupata videntur à Comico, quâ & *Cæli cærula*, tum *Orci Acherusia templa* à Patre Latinorum Poëtarum Ennio. Adstruo hisce *Siluestria tēpla*, Nymphis Nemoralibus ad Æuiternitatem & memoriam posteritatis consecrata à Lucretio.

SI SCIENS FALLO, TVM ME, SALVA VRBE ARCEQVE, ÆTERNVM COMI TEMPLIS ET IVRE SACRORVM, *exVtum omni*, PLAVTINA *arceat à* CAVEA TRI LIPSIVS, *& nullâ dignatū parte* THEAMVS Æ *furcillis præcipitem eiiciant*.

Quod supereſt, non omnibus ſatis liquidò liquere arbitror, quidnam Gripus; *Salute horiæ*, ſignificare ſe velit. Ego, *ſaluâ atq; incolumi horiâ*, interpretor; quæque ex ſæuis tempeſtatibus ſarta tecta euaſerit in tranquillum. Eadem phraſis in Bacchidibus:

Euenit, vt ouans prædâ onuſtus incederem,
Salute noſtrâ, atque vrbe captâ per dolum.

Neque expers eiuſcemodi elegantiæ ouatio illa Menechmi ſurrepti, quâ idem de pallâ vxori clam ſurreptâ gratulatur ſibi, hoc exemplo:

Auerti prædam ab hoſtibus, noſtrûm ſalute ſociûm.

Id eſt, quemadmodum memoraui modò, *Saluis ſociis noſtris*. Nam ad *Horiæ* ſignificatũ quod attinet, declarat nobis Nonius, adducto inſuper, quò facilius memini; huiuſdem loci teſtimonio; itẽ alterius è Rudẽte, ad iſtam faciem.

Meâ operâ laboratur & rate & horiâ.

Quem ipſiſſiſſimum locum mox exhibitura nobis Scena huic proxima, verbis paullò aliis conceptum. Sic enim inibi:

Meâ operâ, labore, & rete, & horiâ.

Inſignitè

Insignitè bene. Itaque hinc emendetur quantum potest Nonianæ memoriæ vacillatio. idq́ue de Gripi, imò adeò Poëtæ ipsius sententiâ.

Eâdem Scenâ, vbi Gripus, præter heri opinionem, ex templis illis Neptuniis redux (vti demonstratnm modò) plurimâ prædâ onustus domuitionem parans, ac magnas res agitans in mentem instruere, post multas ac magnificas gloriationes, inter cetera votorum, huiusmodi etiam consilium proponit sibi:

Post animi caussâ mihi nauem faciam, atque imitabor Stratonicum.

Stratonicum quem dicat nescio, nisi si fortè nobilem illum Philippi Regis Quæstorem significat, qui apud Magnum quoq; Alexandrum illum honore sanè haud tralatitio fuit; cuius reposti iuges copiarum thesauri Græco etiam Prouerbio occasionem dedere. Auctor Diodorus in vitâ Alexandri, item Ælianus De Variâ historiâ. Mirum verò hoc Lambinum fugisse, qui Plautum suo, hoc est, Comico more in fictitio nomine ludos de-

liciaſque factitaſſe, inſcitiſſimè hariolatur.

Scenâ porrò proximâ Trachalio ſeruus; poſt furti narrationem, quam captiosè inſtituerat, abſolutam; hanc conditionem Gripo tandem quaſi per quæſtiunculam ferens inducitur:

Is mihi nihil
Etiam reſpondit. quid? inde æquum eſt dari mihi dimidium?

Ita enim in contextu ſuo Lambinus, Interrogationis notâ poſt particulam (*Quid*) adiectâ, quæ in Camerarianâ Editione deſideratur. Meo quidem iudicio, rectè. Vt vt eſt, concinnior haud paulò omnis ſententia futura, ſi pro *Quid* τὸ *Ecquid* (id eſt, nunquid) reponatur, hoc pacto:

Ecquid inde æquum eſt dari mihi dimidium, volo vt dicas.

Idque adeò ipſius rei argumentum poſtulare videtur. Ibidem:

Et vietorē & piſcatorē te eſſe impure poſtulas.

Hallucinationes Criticorum flagellare non conſtitui hoc loco, eaſce denudare contentus; *Vietorem*, partim pro *Doliario* interpretantium; partim mutantium

tantium ſcripturas. Nec ſapientius, aut felicius Briardus noſter; cui ab Agellianâ deriuatione perperam intellectâ miſerrimè os ſublitum; ità vt ἀντὶ τῦ, *Vietorem*, *Victorem* etiam à ſe ſuccidaneum ſubdere haud erubuerit Plauto. Ego certè, τὸ *Vietorem*, verum ac germanum puto, & pro *Lictore* accipiundum, idem ſignificante. *Lictor* enim ἀπὸ τῦ *Ligando*; vt *Vietor* à *Viendo*, id eſt, vinciendo, ſeu conligando: vnde *Viminis* etiam appellatio deflexa. Eò dico, ne quis Lambino inſiſtat credere, de Nonianâ ſententiâ in fraudem humanitus, vt fit, per meram incogitantiam deducto.

Scenâ ſequente illud perobſcurum:

TR. *Atqui nunc abs te ſtat, verum hinc ibi teſtimonium.*

At enim Lambinus in ſcholiis ſuis non *Ibi*, verùm *Tibi*, viſus lectitare. ſicuti ex hac eiuſdem interpretatione promtum eſt facere coniecturam. Sic enim inibi: *Verum ex hoc vidulo*, inquit, *teſtimonium tibi ſumendum & promendum eſt.* Senſu vtique commodo; verbis non item. Proinde mihi quoque audaculo

fieri adlubescit, atque ἀντὶ τ' *Ibi*, siue etiam *Tibi*; *Ibit*, vel certè *Dabit* non ludo, sed seriò facere supposititium.

Eâdem Scenâ dubito, an satis sincerè ex ingenio reposuerim:

Ibi ego dicā quicquid inerit nominatim: tu mihi
Nullus ostenderis. si falsa dicam, frustrà dixero.

Nullus, pro haudquaquā, neutiquam; antiquè. Nam sanè in nostris exemplaribus, *Nullum*, editum est. & vanus fortasse coniector ego. Iudicent Antiquarij.

Scenâ porrò eiusdem Actûs antepenultimâ oportunum malæ precationis exemplum habes à Gripo:

At ego Deos quæso, vt quicquid in illo vidulo est,
Si aurum, si argentū est, omne id vt fiat cinis.

Ex hac notâ quoque fuerit Tibullianum illud, hinc (vti videtur) mutuatum:

Muneribus meus est captus puer: at Deus illa
In cinerem & liquidas munera vertat aquas.

AD

AD RVDENTEM.

CAPVT XVI.

Præconij faciundi inter pauperes & opulentos discrimen. Cubitum longis literis signare. Talentum argenti commodum. *Aras tangendi ritus.* BRISSONII *Elogium.*

PERGAMVS ad Actum sequentem, & Thalassicas Gripi minacias audiamus:

Cubitum hercle longis literis signabo iam vsquequaque:
Si quis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo,
Ad Gripum vt veniat, non feretis istum vt postulatis.

Hunc morem Gripo tantùm, eiusdemque ordinis generi in vsu fuisse suspicari libet. CVI BONO? inquies. Nimio quo Præconis compẽdium facerent scilicet, homines plebeij ac pauperculi; id quod manifestò videre est ex Parasiticæ illa Gelasimi Auctionis prædicatione in Sticho. Nam opulentiores qui erant, præcones cõducebant è publico

è publico, palamque per eos, si quid vellent, prædicari iubebant. qui mos in hunc vsq; diem etiamnum nobis sic quasi per manus traditus obseruatur.

De cubito verò conscribillando mirum nemini videri debet, quandò nostro etiam hoc seculo longis, decumanis, ac capitalibus literis, haud quidem cubitos, sed quod à veteri illo more non nimium abludit) libellos indices, siue tabulas papyrinas, Basilicarum, vel Templorum valuis, pilisque ac portis proponendas conscribellamus, iisdemq; ceu mutis interpretibus (proinde vt Gripus iste Plautinus) quid fieri velimus, publicitus atque in propatulo testamur: vnde ab omnibus quasi de plano legi possint. Porrò ne quis *Lōgas* istas *literas* in quæstionem vocare possit, prius dico, *Longas*, prò *in longum formatis productisq;* accipi oportere. Ad quas item *Longam illam literam singularem*, quam ex se facturam sibi Euclionis Staphyla minatur, referundam opinor Aululariâ; non vt literatorculi isti plusquam diobolares, quibus hoc ad vnum omnibus conuenisse intelligo, vt *Longam*

vt *Longam literam* in Plauto pro eâ,quam L. hodiè perhibemus, accipiant. dignissimi hercle (me iudice) ob istanc industriam,qui ipsi ex se lõgam vnam literam faciant: quò reapse nimirum experiundo, propriam *Longa litera* significationem rectius alios edocere valeant in posterum. De *Longis literis*, & quidem cubitali modo etiam hæc reperias in Pœnulo:

Ibi tu videas literatas fictiles epistolas,
Pice signatas: nomina insunt cubitum longis literis.

Quæ quum ante annos sedecim in Aduersaria mea retulissem iam olim, reperi posteà in eâdem mecum sententiâ esse Lambinum.

Actu v. Scenâ II.

Talentum argenti commodum,

legitur. Quò referenda ea, quæ de *Cõmodis argenti minis* à Camerario, Lambino, aliisque Plauti interpretibus suis passim locis animaduersa. Habes sollennem inibi non à precaturis modò, verum etiam sacramentum dicturis, Aras tangendi ritũ ob oculos positum in hisce Gripi præiurationibus:

GR. *Tange*

GR. *Tange aram hanc Veneris.* LA. *Tango.*
GR. *Per Venerem hanc iurandum est tibi.*

Et mox:

GR. *Tene aram hanc.* LA. *Teneo.* GR.
Deiura te mihi argentum daturum.

Ex quâ formulâ ab Ouidio in Amoribus scriptum; huc nimirũ alludente:

Tange manu mensam, tangunt quo more precantes,
Optabis merito quùm mala multa viro.

Exempla etiam istis plura & meliora fortasse adstruere possim; si quid vel meæ, vel aliorum industriæ reliquum BRISSONIANÆ FORMVLÆ fecissent. Quo quidem ego opere (humanitùs dico) nihil statuo edi posse operosius aliud, neq; in PVBLICVM vtilius quod fuat; neque doctius, neque gloriosius; vel AVGVSTIVS denique. quid verbis opus est?

Vnus homo nobis Romanã restituit REM.

Sed verò SEMONIS illius laudes adeò breui gyro circumscribere, extremæ temeritatis esse deputo. & DÎ MELIORA, quàm vt ipse tantum confidentiæ mihi aut arrogem; aut sumam.

Hoc

Hoc faciant, quibus ORCHESTRÆ SELLÆQVE CVRVLIS
IVS, LIPSI, *&* PODII *parte** *sedere tui.*
Sat mihi, SVMMA AGIPES CAVEA
Si PLAVDERE *spectet;*
Et tacitâ MERITIS VOCE FAVERE VIRIS.
Hæc igitur mea sit audacia; mirer, amemq́;
Et VENERER *magni* MVNERA BRISSONII.
Hactenus. & graue quid, tantis si laudibus impar
Percellor, neque Mu dicere sustineo?

* *Refer ad librum eius de Amphitheatro.*

AD

AD STICHVM

CAPVT XVII.

Obnoxius. *Mureti audacia in numerorum structurâ leuiter castigata.* Occupo ferre osculum. *Emendatus Plautus.* Magnificare. *Seria τοῦ* Ridiculi *consideratio. Prædicatio parasitica preßius examinata, contrà mentem interpretis.* Lingua venditaria. Venditare. *Lambinus iterum atque iterum confutatus.*

SCENA I. Stichi, posteaquàm Panegyridem sororem suam, & quidem germanam, inter cætera officij ac pietatis viro absenti debitæ commonefecit Pinacium, hacce tandem clausulâ suasoriam orationẽ concludit:

——Tamen pol
Ne quid magis simus omnibus obnoxia opibus,
Nostrum officium meminisse decet.

Obnoxia, id est, affines, siue compotes noxæ. Itidem in Iugurtha Crispus noster, *Nobilitas obnoxia, atque eò perculsa*, &c. Vnde liquidò liquet illorum homi-

nium

num hallucinatio, qui *Noxia*, pro *Obnoxia* Salluſtianæ hiſtoriæ de ſuo condonare veriti non ſunt. Scio diuerſam ab hac lectionem Mureti comitate inductam in Plautum, quam & Lambinus ſectatus. Recténe, an ſecus, ipſi viderint. Idem de numerorum ordine ac diſtinctione ab iiſdem conſtitutâ dictum poſtulo: cui ſanè ego ſecundas facere nec debeo, nec volo; neque adeò ſi velim, copia eſt. In his etiam τὸ *Magis* illud fuerit, quod vt *Malis* commutem, ne ipſequidem Plautus perſuaſerit mihi.

Scenâ II. *Is habitu haud probus eſt.* Idem loquendi modus in Perſâ:

Is amor cultu eſt optimus.

Conſuadet ibidem Panegyris ſorori Pinacio, vt anteuortat ſecum parenti obuiam occedere, atque oſculum offerre contrà, his dictis:

PA. *Is eſt ecaſtor, ferre aduorſum hominem occupemus oſculum.*

Prudenter vtique & conſilio bono, hoc eſt, pudicis honeſtiſque matronis vniter conueniente, quò videlicet patri (tanquam Cenſori) ſiccas ſeſe atque

abſtemias probare poſſint;ex inſtituto & diſciplinâ maiorum. Vide Valer. Maximum. Cæterùm videtur emendandum:

Ferre aduorsùm homini occupemus oſculum.

Quibus in verbis notanda item Iuuentuti phraſis illa, *Occupo ferre*; quâ & Horatius vſus in re ſimili,quũ ſcribit:

Dum fragrantia detorquet ad oſcula
Ceruicem; aut facili ſæuitiâ negat,
Quæ poſcente magis gaudeat eripi:
Interdum rapere occupet.

Appingamus & alteram notæ paulò vetuſtioris, *Magnificare* inquam, pro *Magnifacere*, in ſententiâ illâ multo honeſtiſſimâ. PI. *Pudicitia eſt,pater,*
Eos magnificare, qui nos ſocias ſumſerunt ſibi.

Vnde manifeſtò dilucet rectè in Fragmentis Lucillianis publicatum legi:

Magnificare hos, his bene velle, his viuere amicum; prò quod alij maluêre,
Hos magnifacere, his bene velle, &c.

Scenâ III. ait Paraſitus:

Neq; retulit, quam ego refero meæ matri fami.

Quem mihi quidem locum in animo habuiſſe videtur Chariſius,quum ſcribit: *Plautus in Sticho, Fami, datiuo caſu dixit.*

Subiun-

Subiungit idem mox infrà:

Gelasimo nomen mî indidit paruo pater,
Propter paupertatem hoc adeo nomen repperi;
Quia inde iam à pauxillo puero ridiculus fui,
Eò quia paupertas fecit, ridiculus forem.

Cui ſententiæ adſtipulatur & Iuuenalis illud:

Nil habet infelix paupertas durius in ſe,
Quàm quòd ridiculos homines facit.

Addit deinceps Paraſitus:

Nam illa omnes artes perdocet, vbi quem attigit.

Nihil verius. atque inde eſt, quod in Satyræ ſuæ veſtibulo commentatur Perſius:

Quis expediuit Pſittaco ſuum χαῖρε,
Picaſq; docuit noſtrà verba conari?
Magiſter artis ingeniiq; largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Eampſe phraſim inuenias in Declamatione illâ falsò Salluſtio attributâ, in quâ Arpinas Orator hacce ironiâ inceſſitur:

Quem Minerua omnes artes perdocuit.

Senarius porrò ille:

Nam curioſus nemo eſt, quin ſit maleuolus.

parentheſi includendus, puncto, poſt

priorem versum expuncto, eiusque vicem reposito commate, quò videlicet tota porrò sententia aptius concinniusque cohæreat sibi, vnâ periodo comprehensa, vsque ad verba illa:

Damna euenerunt, &c.

Pergit nugari deinceps Parasitus, Auctionem prædicaturus:

Foras necessum est, quicquid habeo, vendere.
Adeste sultis, præda erit præsentium.

Quod Lambinus explicat: *Vendentur res venales præsentibus emtoribus.* nimis hercle, vt opinor, præter Parasiti Genium, tum Poëtæ nostri sententiam. quam quidem ego aliam nullus fuisse autumo, quàm; Non esse, quod emtor quispiam bellissimâ hac præsenti occasione dilapsâ semel, vllo porrò tempore speculam proponat sibi, ex hac ipsâ Parasiticâ Auctione sese vel ramentâ plumeâ propensiorem discessurum in posterum. Nihil enim quæsti fore animo aut corpore absentibus aliudve agentibus, neque rationem vllam habendam dormitantium. Præsto proinde, adeoque in re præsenti omnes esse oportere, quicunq; lucro faciundo

auspicare

auſpicare ſtudebunt ſeſe; idque tempori, & priuſquam ab aliis licitationem iamdudum, imò emptionem facere paratis præuortantur. Illis enim præſens lucrum, imò præmiũ & prædam in mundo eſſe, quotquot tempeſtiuè liceri, pretiumque proſcriptæ merci priores facere occupauerint; neque ſomniculosè elabi prædam paſſi fuerint è manibus. Oppidò quàm ridiculè, imò verè Paraſiticũ in morem.

Linguam quoque mihi etiam eſſe venditariam.

Venditare, eſt vẽdere diſcupere. quemadmodum magnam ferè partem Frequentatiua apud Veteres. Sic *Dormitare*, pro *Dormiturire*, iiſdem acceptum. *Lingua venditaria*, ea proinde fuerit, non quæ vendit, ſed quæ vendere capitur. cuiuſmodi ſuam credi volt Paraſitus, qui auctionem faciebat, ſeque ipſus pariter cum ornamentis omnibus venalem prædicauerat ſupra,

Inanimentis explementum quæritans.

Sic Milite:

Non ego poſſum, quæ ipſa ſeſe venditat, tutarier.

id eſt, venalem habet, vel facit ſeſe.

Demiror, quid illæc (*Panegyris*, ſcilicet) *me ad ſe accerſi iuſſerit.*

Quæ nunquam iuſſit me ad ſe accerſi ad hunc diem,

Poſtquam vir abiit eius.

Atqui triennium factum iam erat, poſtquam domo abierat Epignomus, intra quod tempus damna pol ſibi eueniſſe maxima; hoc eſt, cœnas, prandia, potationes mulſi plurimas demortuas, grauiſſimamque vitæ ac victus ſe iacturam paſſum, inſolabiliter ſecum & cum animo ſuo conqueſtus fuerat modò; haud Gelaſimus iam, ſed verò Miccotrogus potius. neque id adeò mirandum, quippe Regis ſui tanto interuallo inopiam paſſus: ipſiuſque benignitatibus & prothymiis per diutinam eius & pluſquam triennalem abſentiam in perpetuum orbatus, & quaſi pro derelicto habitus miſer.

Scena IV.

Quæ miſera expectatione eſt Epignomi aduentus viri.

Credo, *Aduentus* ſcriptum à Plauto generandi, nō auferendi caſu; vel certè legendum; *Aduenti*, antiquum in morem;

rem; *vt Senati*, pro *Senatûs*, aut *Senatuis*; *Victî*, pro *Victûs*, &c.

Sed ſpatium hoc occidit, breue eſt curriculo; quàm me pœnitet.

id eſt, ſpatium, ſiue curriculum iſtud citius à me celeriuſque decurſum eſt, quàm me curſuræ porrò longioris tædium aut ſatietas cepit. Lambini cõmentationem non moror.

GE. *Iam tu piſcator factus.*

Sub finem interrogationis notam deſiderari, hoc loco; numeros verò Anacreonticos eſſe, ſatis acceptum eſt mihi.

AD STICHVM.

CAPVT XIIX.

Naſiterna. *Paraſiti perſona ſuo loco reſtituta.* Velum paſſum. Ærumnulæ. *Condicere aliquò* ad cœnam. *Seruilis obſonatio Legibus Romanis cauta.* Onerare ſe voluptatibus, hilaritudine. Cõtruncare cibum. Cibicidæ. Polliceri. Pollicitatio.

Scenâ. *Quiſnã obſecro has frangit fores?* &c. DI. *Ecquis huc effert naſiternam cũ aquâ?*

Nasiterna, genus vasis aquarij ansati & patentis, quale est quo equi perfundi solent. Plautus Bacchid.

Ecquis euocat cum nasiternâ & cum aqua istum impurissimum?

Hæc Festus. Subdit deinde hoc exemplum, non quidem è Sticho, verùm hercle ex Neruolariâ. Male, vti hinc videmus. Fulgentius: *Nasiterna*, inquit, *aquæ vrna, id est, vrceus. Calpur. Phronesi Fabula: Vbi tu nasiternatus aquam petas.*

D I. *Lectos sternite.*

P A. *Principium placet de lectis.*

Credo Lectisterniationem istam ex Parasiti magis, quàm Panegyridis sententiâ fuisse. Eius proinde vicem Gelasimi persona substituatur, Doûsâ assertore, hoc modo:

G E. *Principium placet de lectis.*

vt melius sequentibus, aptiusque respondeant omnia.

In portum vento secundo, velo passo peruenit.

Passo. i. laxo & rugoso. Nonius; qui tamen alibi *Passum, & extensum, & patens* interpretatur. quod & Lãbino Briardoque, hoc quidem loco arridet impensius. *Passus* enim, & *Expassus* & *Dispassus*, seu

seu *Dispessus*, omnia Veteres ἀπὸ τῷ *Pando* deduxere, Seruio atque Agellio testibus. Igitur *Passo* velo, erit *Explicato*, & quod vento impulsum ac completum intumescat & quasi prægnas fiat. Sed erro: & rectè atque ex nauticâ disciplinâ Nonius, qui morem hunc sollennitus habent, vt quotiescunque portibus insinuandum sit nauigia, pedem faciant illico, laxentq; velorum sinus; ne, vento secundo impetum nauis adiuuante, Syrtibus aut puluinis illisa, vado adhærescant.

Hercules sanè, qui Deus sis, discẽssisses nõ malè.
Decimâ scilicet adauctâ tibi, ex hæreditate, quàm frustrà animo cupidissimè cupiente traxeram atque inhiaueram credulus. quam si ex sententiâ vtriusque nostrum cernere contigisset, næ tu pulchrè dapsilèque à me, ne basilicè dicam, Decimâ istâ quam voui, mactus ac polluctus discessisses. Lambinus mentem Poëtæ hoc loco parum hercle mihi adsequutus videtur.

Scenâ. *Cum bene re gestâ.*
ait hero Stichus:
Quam multas tecum miserias multauerim.

Auctor est Festus, vocem *Ærumnulas* vsurpatam alicubi à Plauto. quam quidem ego huicce loco conuenire haud inscitè arbitrarer, si tamē libros membranaceos Auctores haberem mihi, τὸ *AErumnulas*, ἀντὶ τ͂ *Miserias*, repositurus; hoc modo:

Quàm multas tecum ærumnulas multauerim.

Quâ phrasi vsus quoque inuenitur Lucillius noster, quum scribit:

Quantas, quoque modo (Scribo, *quotq́;* *modò*) *ærumnas, quantosq́; labores*
Exanclaris.

Pergit ibidem Stichus:

Amicā ego habeo Stephaniū hinc ex proximo,
Tui fratris ancillam, eò condixi in symbolam
Ad cœnam, ac eius cōseruum Sagarinū Syrum.

Pro quo Lambinus ex veteribus libris: *Ei condicam*. de cuius scripturæ probitate quid dicam, nescio. atque eò minus, quòd Accusatiui casus copula subsequatur. nisi si quis fortasse rescribendum autumet:

——*Ei condixi in symbolam*
Ad cœnam, ad eius conseruum Sagarinum
Syrum.

Idque mihi potius animatum est sequi,

qui, quàm in diuidiam venire cum Lambino. Quod ſi cui receptam lectionem retinere ſtat ſententia, *Eò condixi*, interpretandum erit, Ad eam, ſ. Stephanium amicam communem. vt & Menechm.

Hodie ducam ſcortum ad cœnam, atque aliquò condicam foras.

Excuſat ibidem Plautus, quòd homines ſeruolos potantes, amantes, atque ad cœnam condicétes inducat in Scenam. quod mirum nemini videri debere dicit, in palliatâ præſertim Comœdiâ, & quæ Athenis de ſollẽni veterum Comicorum more geſta fingatur. quâ in vrbe hominibus ſeruis obſonare, pergræcari, vel etiam ſcorta ducere libera ſemper poteſtas fuit. Quam rem Stichus tamen, Romæ ſe ſcilicet, haud Athenis eſſe, feriò demum cogitans, potius quàm in diuidiam veniat, id eſt, Romanis Legibus fraudem faciat, vnde periculum ac noxam capitulo creet ſuo; Igitur ſibi in animo eſſe conſtitutum prædicat, nuſquam in publicum prodire; ſed verò partem ædium poſticam vti potius,

câque

eâq; per hortum furtim ac clanculum vnà pariter cum obſonio in proximum ſe penetrare.

Ne id ſi Poplus reſciſcat; aut ſibi, aut Syro,
Suo riuali, quidpiam ex ſe incommodi
Seruilis iſtæc pariat obſonatio.

Cauta quippe ac vetita Legibus, Romanis dico, non Atticis, vti memoratum modò.

Quod verò ad Athenienſium ſeruorum inſolentiam, incredibilemque pænè ad omnia, quæ huicce hominum generi collibuiſſet, impunè perpetrandi licentiam attinet, conſulendus, me monitore, Brodæus lib. Miſell. I I I. cap. XII.

Scenâ. *Ita me Dij bene ament.*
ait Antiphoni Pamphilippus:

Nunc quia te amicum mihi experior eſſe, creditur tibi,

ſcilicet à me, quaſi dicas:

Creditor fio tibi, ſine prædibus;

neque ſatisfactionem aliam vllam deſidero, quàm rem ipſam, quâ te & amicum mihi & beneuolentem eſſe, ſatis compertum atque exploratum habeo, Antipho.

Peagit

Pergit quæritare ibidem de Pamphilippo Epignomus:

Hodiéne exoneramus nauem frater?

At ille quàm placidè:

PA. *Clementer volo.*

Nosmet potius oneremus a icissatim voluptatibus.

Festiuiter & concinnè. Etenim ad Exonerationem quæ præcesserat, allūsum: vt Epignomi interrogationem multò simplicissimā tralaticiā responsione eludat Pamphilippus. Quam metaphoræ formam alibi item amplexus Poëta noster, vbi scribit:

—— *Onera te hilaritudine.*

Distinguo ibidem:

Optimum est. iam istoc moræ minus erit.

Ait mox Apologo Antiphonis aures vaciuas cōmodans Pamphilippus:

PA. *Perge porrò. præsens hic quidem est apologus.*

Scilicet; quoniam quidem nos in re præsenti sumus, in quorum personas Apologus iste examussim conuenit.

Narrat porrò Antipho: *Dum equidem* (malo *Quidem* cum Lambino) *hercle quod edant addas, meum ne contruncent cibum.*

Ad exemplū credo Lucillij dictum, qui

qui *Magnos manducones* iſtos; eoſque qui cibum cædant, ſeu abſumant, facetè *Cibicidas* appellitauit illo verſu:

Viginti domi, an triginta, vel centum cibicidas alas.

Apuleius quoque *Offulam contruncare, Detruncare* cibum, Item alibi: *Ac dum auidâ ferocitate cuncta contruncant.* Sunt tamen, quibus *Contrucident* perſuaſum eſt legi potius oportere in Plauto.

Reſpondet huic Pamphilippus:

Videlicet illum fuiſſe parcū ſenem, qui dixerit.

Cui conſimilis illa quoque Aſinariâ loquutio:

AEdepol ſenem Demenetū lepidum fuiſſe nobis.

Sequitur:

Quoniam ille illi pollicetur, qui eum cibum popoſcerit.

Priorem verſum illum ita corrigit Briardus: *Qui hoc dixerit,* & quod ſequitur: *Quoniam,* ſiue (vt alij) *Quando ille illi pollicetur,* &c. hunc habere ſenſum exiſtimat: Iniquè & ſordidè nimis facere Senem, qui munem ſuapte ſponte ac munificum, vlterius porrò ſumptibus onerare pergat. Eſt enim propriè *Polliceri* apud I. C^tos^ quùm

vltrò

vltrò offerimus, & *Pollicitatio* ſolius offerentis promiſſio. Vnde rectè eſt in Caſina: *Operam vxoris polliceor foras,*
Quaſi catillæ.

Placet autem, vt cum interrogatione potius reſcribatur: *Quî eum cibum popoſcerit?* τὸ *Quî* aduerbium vt fiat ſcilicet.

AD STICHVM.

CAPVT XIX.

Ducere ſeſe pro adoleſcentulo. Abire, Abitio. *Plautus ternis locis emaculatus.*

HABES eâdem Scenâ, ex perſonâ Pamphilippi de ſocero ſuo, præter ſpeciem atque ætatem nimium iuuenante; ac (Lyncei Propertiani in morem) inſaniente amores ſeros, quaſi per admirationem exclamantis:

Vt iam nunc ſceleſtus eſſe ducit pro adoleſcentulo?

ineptâ ſententiâ, imo (verius vt dicam) nullâ. Quæ etiam Lambino cauſſa exſtitiſſe videtur, vt *Cupit*, pro *Ducit* in Plauti ſui contextũ retulerit; inſcienſq́; (vti

(vti aliâs sæpè) plus fecerit, quàm sciens, boni. Nam de mutatione aut diuersitate Lectionis in Commentariis suis verbum nullum. Non quòd *Cupit* hoc loco potius, quàm *Ducit*, à Poëtâ scriptum censeam; πολλοῦ γε δεῖ: sed, quòd ea scripturæ varietas occasionem porrò præbuerit nobis, ad locum istum pressius aliquantò ac diligentius considerandum. Neque id frustrà. Nam aut ego falsâ ratione auguror, aut Plautina mihi, sic quasi ex latebrosis fodinis, eruta veritas. quam hanc de ipsius sententiâ esse pro comperto adseuerare ausim:

Vt iam nunc scelestus sese ducit pro adolescentulo?

Cuius dictionis insolentiam caussam sciolis præbuisse opinor locum deprauandi. Raris enim animus, ad ea quæ non intelligunt, neq; ad captum suum faciunt, defensitanda. *Dûcere* ergo *sese pro adolescentulo*, aliud nihil erit, quàm: *Habere, æstimare, gerere pro adolescentulo sese.*

Emendemus & sequentis Scenæ principium, quod ex personâ Gelasimi in Editione Camerarij conceptum legitur.

gitur hac formulâ :

GE. *Sed ita quod occepi narrare vobis, quum hic non affui,*

Cum amicis deliberaui iam, &c.

Namque quis non videt, particulam illam aduersatiuam (*Sed*) minus nihilo facere ad mentem perditissimi Parasiti? nimioque adeò melius constaturam sententiam, si Lambini exemplum sequamur, rescripturi hoc modo :

GE. *Est ita, vt occœpi narrare vobis,* &c. vt referatur ad illa secundæ ab hac retro Scenæ :

Certum est amicos conuocare, vt consulam, &c.

Cuius correctionis nulla ratio tamen reddita à Lambino. credo, quòd Camerarianam scripturam fortasse à suâ seorsum sentire ignorauerit, per imprudentiam scilicet. Quâ quidem in re singulari fuisse videtur fato. Sed ego industriosissimi viri Manes non sollicito. pax mihi cum mortuis potius. Neque enim nobis, neque cuiquam mortalium, in quo adsit pudor, decorũ vnquam, Luctamen instituere cum Laruis. Proinde rem ad exodium ali-

quando ducturus, illud Lectorē prius commonitum velim, Lambinianæ lectionis discrepantiam probari quidem nobis; neq; ità omninò tamen, vt eam examussim Plautinam esse iudicem, aut certè hâc nostrâ, quam eidem succidaneam facturus, integriorem. Rem considera:

GE. *St. ita vt occæpi narrare vobis, quum hìc non adfui.*

Sic enim scribo, *Sed*, vel, *Est*, τῷ *St.* (quam silentiariæ notæ loco antiquitus vsurpatam à Comicis, quis tam bardus in literis, qui ignoret?) haud veritus commutare.

Sub eiusdem Scenæ finem Gelasimus, rebus suis desperatissimis, quoniam spes omnis cænatica à Pamphilippo decollauerat, animamque efflauerat planissimè; oratione tandem ad semet ipsum conuorsâ, hæc solus fabulari secum, veluti consultabundus inducitur:

GE. *Iámne abisti, Gelasime? vide quid es capturus consilij.*

Quo loco *Abisti*, ἀντὶ τοῦ *Obisti*, positum iubet suspicarier. *Abitionem* enim, pro

Morte

Morte *δυσφημίας* vitandæ veteres vſurpaſſe gnarum nobis ex Feſto, vt ſemet ipſum interroget Paraſitus, quaſi ambigens, vtrúmne inter viuos, an mortuos potius numerari; hoc eſt, in *Libitinæ Cenſum referri* debeat porrò, omnium mortalium occiſiſſimus. Niſi ſi quis fortè ad Pamphilippum binas illas dictiones priores trahi oportere, probabilius exiſtimet; quibus à Rege pro foribus ſuo, & quidem ſolus, deſertus ac ludificatus denique; eumpſe intrò deſubitò proripientem ſeſe proſequatur Gelaſimus. Quod ſi cui probabitur, interrogationis notula poſt *Abiſti,* collocanda erit, & vocatiuus *Gelaſime* ſequentibus adſtruendus, ad iſtam faciem:

Iámne abiſti? (ſcilicet, ô Pamphilippe)
Gelaſime, vide quid es capturus conſilij.

Idque tibi non LVGDVNO, mi Lector, verùm DELPHIS hercule RESPONSVM dicito.

AD STICHVM.

CAPVT XX.

In Plauto recepta lectio asserta. Indidem quid sit, Decumâ ſonte, *nunc primum explicatum.*

SCENA, ab hac, alterâ triennio poſt herilẽ patriam reuiſens huiuſmodi ſalute impertit Sagarinus:

Saluete Athenæ, quæ nutrices Græciæ,
Terra herilis patria, te video libens.

Sic enim Camerarij noſtri Editio. perperam. nam laborat verſus non dico in fine, verùm in ipſo hercle frontiſpicio. Cui malo ſi de Lambiniani Codicis præſcripto remedium quæremus, vnius literæ adiectione ſcribundum nobis erit: *O terra herilis*, &c. Sin autem noſtro Marte potius, & copiis domeſticis rem gerere capiemur, particula VT præmiſſâ audebimus emendare:

Vt terra herilis patria te video lubens?

Itaque ipſus alibi quoque:

Vt te conſpicio lubens?

Sed & Catull.

Quàm te libenter, quamq; lætus inuiſo?

Atque

Atque idem ferè principium reperias in Bachidibus:

Herilis patria salue, quam ego biennio
Postquam hinc Ephesum abij, conspicio libens:

de Menandræis istis, vt videtur, Senariolis expressum:

χαῖρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδὼν
Ἀσπάζομαι, & cætera quæ in Commentariis Græcorum est lectitare.

Scenâ. *Agite, ite foras, ferte pompam:*
Vide quot cyathos hos bibimus? ST. *Tot quot digiti sunt tibi in manu.*

id est, quinque. Nam alteram manum modò intelligere videtur δεικτικῶς. Stichi enim, quippe huic conuiuio Strategi, siue Modimperatoris prouincia erat numerum cyathorum diffinire, modumque bibendi præscribere. Iubet igitur Sagarinus; *Vide*, id est, dicta, seu præscribe nobis, *quot cyathis* (vti est in Persâ) *committimus hos ludos?* atque ibidem non quinque (proinde vt hîc) verum septem cyathorum fit mentio. Notandum autem perparuum mensuræ modum fuisse, binosque cyathos effecisse sextantem.

Sequitur versu interiecto pòst paululo

Tibi propino decumâ fonte, tu tibi inde, si sapis.

Quam lectionem pro corruptâ ducit doctissimus Lipsius, ac restituendam hoc modo:

Tibi propino decem, affonde tu tibi inde, si sapis.

Sed enim optimè sententia constatura sibi, si quidem Scauri Grammatici auctoritatem sequentes, *Fontem*, fœmininum esse Positione dicamus, quoties *Crateram* significat; *Decumam* autem, decumanam, hoc est, grandem ac capacem intelligamus. Igitur porrò *Inde* illud Imperatiui modi fuerit significans, *Infunde, misce.* ne quis Aduerbium censeat. Sic idem alibi: *Si vini guttam indidi in os*. quod & nos vernaculo hodie sermone dicimus: Doet daer wat in. Indoen, ergò respondebit Latino τῷ *Indere.* Lambiniana istiusce loci correctio nauci non est.

Scenâ: *Morem vobis geram*, &c. nequam & seruile illud:

ST. *Vapulat peculium. actum est. fugit hoc libertas caput.*

& vide an subsit ambiguitas in dictione *Peculium*, & æs seruile, & verpam salacem pariter significante. Sed quid si,

Vapula

Vapula peculium, rescribamus, ad exemplum inquam Prouerbij veteris: *Vapula Papyria*. Quâ de re suo loco plura in Fragmentis Plautinis.

AD TRINVMMVM.

CAPVT XXI.

Immune facinus *quid sit, contrà Lambinum, & Muretum, Festi auctoritate in fraudem inductos, enarratum*. Hostes, *pro peregrinis*.

HVIC ego Capiti nomen *Trinummo* faciam. Nam quî minus tandem mihi hoc licere deputem, quàm Sycophantæ illi Plautino, qui non ad artes nugatorias, quasi ille, verùm (sicuti ego iudico) huic ætati vtiles & conducibiles operam meam liberaliter locaui? Quod ita esse alij quoque persuasum vti habeant sibi, prò re decretum est mihi, Trinummi istius & naturam & facultatem non aurificis staterâ, sed quadam litterali trutinâ ire examinatum. Illud primum, quod & Criticis, & Antiquariis nostris in cōtrouersiam

fuiſſe video, iam inde ab antiquo, *Immunefacinus* quid ſit, in huiuſdem fabulæ exordio. Sed locum ipſum repræſentem, optimum eſt:

ME. *Amicum caſtigare ob meritam noxiam*
Immune eſt facinus: verum in ætate vtile
Et conducibile. Et Nonius quidem, *Immune ſine officio, ſine munere*, interpretatur; quaſi *Officióſo* contrarium. Feſtus contrà, pro *Improbo* dictum ſumere videtur. cuius opinionẽ amplèxús etiam Lambinus; in quâ me riualem habiturus eſt nunquam. Sed neque Noniana explicatio ſatis Plautino argumento reſpondens; nî forte quis τὸ *Officio* pro *Beneficio* ab illo poſitum, argutari ſuſtineat ſcilicet. Vt vt eſt, in obſcuro eſſe non poteſt, quidnam caſtigator iſte pòl velit ſibi: cuius ego hanc eſſe ſententiam opinor: Amicum ob meritam noxiam concaſtigare, immune quidem facinus videri, id eſt, non haberi pro munere, ſiue beneficio, cæterum ex re & vſu magis, quàm ex ſententiâ peccantis eſſe; eius dico, qui ab amico ſeuerè ac ſeriò increpitus, officij ſui tempeſtiuè commonetur,

tur,fitq́; melior præceptis obiurgatoris ſui. *Immune facinus* ergò nihil aliud fuerit, quàm ingratum benefactum, ſiue officium; parumque adeò ex lubidine eius, cuia res agitur, & ad quem caſtigatio illa peculiariter pertinet. Proinde (pace Mureti dico) quod ſententiam iſtam Plautinam adeò acriter inceſſeret Hippolytus Cardinalis, cauſſa non erat.

Scenâ II. aurichalco non cara contrà ſentẽtia illa, ac digna hercule, quam non in libris aut labris modò, ſed & pectoribus penitiſſimis inſcriptam atq; inſitam gerant mortalia ſecla:

M E. *Quia omnes bonos bonasq; accurare addecet,*
Suſpicionem & culpam vt ab ſe ſegregent.

de quâ adumbratum fortaſſe Auſonianum illud:

Nec vero crimine lædar
Nec maculer dubio. paullum differre videtur,* *forté vidētur.
Suſpectus verèq; reus.

Sed & Cicero Philipp. *Atque vtinam vt culpam, ſic etiam ſuſpicionem vitare potuiſſes.*
Legitur deinde:

Atque id tamen lubeat ſuſpicarier.

 Inter-

Interpono *Mî*, vt Senariorum dimensoribus ratio constet sua, hoc modo.
Atque id tamen mî lubeat suspicarier.
idque eò confidentius, quòd in antiquitus excusis disertè impressum est, *Mihi.*

Eâdem Scena obiurgationem continet Megaronidis, quâ idem amicum suum innoxium castigat Calliclem ad hunc modum:
Tum autem sunt alij, qui te Volturiū vocant,
Hostísne, an ciues comedis, parui pendere.
sententiâ insubidâ atque inficetâ prorsus, qui quidem ad antiquitatem sapiat parum; verùm qui sapiat satis, succi & suauitatis plenâ oppidò. *Hostes* proinde, peregrinos ex Varrone, & vetustâ loquendi ratione interpretor. quomodo idem quoque planius Rudente antea:
AM. *Cur tu aquam grauare amabo, quam hostis hosti commodat?*
SC. *Cur tu operam grauare mihi, quam ciuis ciui commodat?*
Item Curcul.
Si status condictus cum hoste intercedit dies.
Id quod de XII. Tabulis petitum esse,

esse, indicat nobis M. Tullius primo Officiorum. quo loco idem pluribus etiam vocabuli huius significationem exsequitur. ad quam item pertinere arbitror Veterem illam Formulam in Sacris quibusdam vsurpari solitam, cuius meminit Festus. Altũ hîc Lambini silentium, prorsùs οὐδὲ γρύ. Pergit idem Megaronides:

Quin eum restituis, quin ad frugem corrigis?

Propriè. Corrigimus enim luxata, id est, locis suis emota, seu deprauata potius. Sic Bacchid. de perdito item ac corrupto adolescente:

Ego illum haberem rectum ad ingenium bonum,
Nunc propter te tuamq́ prauus factus est fiduciam.

AD

AD TRINVMMVM.

CAPVT XXII.

Trinummus correcta. Aſſidui ciues. Bonis aliquem euertere. Ab re conſulit. Res foras labitur. Deiuuare. Immunis.

EADEM in Scenâ quo loco legitur: *Haſcene me propter res maledicta differunt?* reponendum hariolor, *Maledictis.* Quod ſi admiſerimus, ſubintelligendum erit antiquum in morem, *Homines*, aut *Ciues*, aut aliquid tale. Quo modo & à Tibullo ſcriptum eſt:

Parce puer quæſo, ne turpis fabula fiam,
Cùm mea ridebunt vana magiſteria.

Ita enim locum illum reſtituendum, prò quod in noſtris eſt *Turbis*, docuit nos iampridem in Veriſimilibus quondam ſuis, nunc verò neſcio quâ nouâ metamorphoſi Fanniani iuris factis Lucas Fruterius Brugenſis.

Habes ibidem ſub finem:

Quàm vrbani aſſidui ciues, quos ſcurras vocant.

Aſsidui, prò locupletibus, & facile munus facientibus. Sic vocitati ab aſſibus duendis, id eſt, dandis. Vide Agell. lib. xvi. cap. x. Niſi ſi quis forte *Scurras*, id eſt vrbanos aſſiduos ciues iſtos, ità dictos deputet, ab aſſidendo, vt ad conciliabula, vel potius deſidiabula referamus, in quibus hoc hominum genus aſſiduè garriendo, famigerando, accriminando abſentes, bonas horas peſſimè collocare, totamque adeò ætatem ſuam, ſic quaſi peregrinantes diſperdere conſueuêre.

Notabilis quoque illa loquutionis ratio:

Bonis qui hunc adoleſcentem euertiſſet ſuis.

atque huic ſimilis illa alibi, nî fallor, in Perſa:

Euertes tuo arbitratu homines fundis, familiis.

denique in hac ipsâ Comœdiâ poſterius:

Vt agro euortat Lesbonicum, quando euortit ædibus.

Scenâ III. illud perperam à Lambino declaratum, quo Amoris artes eloquitùr adoleſcens Lyſiteles:

Eos (ſcilicet, cupidos homines) *cupit, eos con-*

eos consectatur, subdolè blanditur, ab re
Consulit, &c.

Videlicet Plautum dixisse: *Ab re consulit*, hoc est, *Ea consilia capit, quæ è re amantium sunt maximè, quæ ad rem pertinent.* quo quid minus tandē ad rem fingi potest? quam quidem ipsus aliquando acu.vt tangam, prorsus è contrario commentabor: vt significet cordatus adolescēs: Amorem ea cupidis & sectatoribus suis suadere atq; consulere, quæ nihil minus, quàm ex re ipsorum & vsu esse experiundo inueniantur.

Pergamus porrò cum Lysitele: *Illico res foras Labitur, liquitur.* Idem de capte profusione Lucretius:

Labitur interea res, & vadimonia fiunt.

Vtitur eodem ferè modo & Sallust. *Dilabitur*, pro diffluit ac dissipatur.

Scenâ quartâ Lesbonici sodalis sui egestatem tolerare se studens patri obstrigillanti respondet Lysiteles:

Deserere illum & deiuuare in rebus aduersis pudet.

Amicè & beneuolè, imò prorsus germanum in modum. Cur autem, quoniam bellissima est occasio, hinc etiam locum

locum Festi emaculare cessamus, in Verbo *Desinare*, quod idem ille Desinere interpretatur. quum ad hoc Plauti exemplum indubitanter respexerit: & absque ventosissimo illo abbreuiatore fuisset, hoc ipsum fortasse à Festo citatum haberemus: in eoque procul dubio *Deinnare*, pro *Desinare* reponendū.

Nam sapiens quidem pol ipse fingit fortunam sibi. Eandem sententiam in Paradoxis expressam habēs apud Cicer. vbi ait: *Nec est ulla res quæ plus apud sapientem polleat, quàm ipsius voluntas atque iudicium. cui quidem etiam quæ vim habere maximam dicitur Fortuna ipsa cedit, sicut sapiens Poëta dixit;*

Suis ea cuiq; fingitur moribus.

Item ab Appio in Sallustianâ ad Cæsarem oratione: *sed res docuit id verum esse, quod in Carminibus Appius ait: Fabrum esse suæ quemque fortunæ.* Adde postremò ex Nepote in Vita Attici: *Sui cuiq; mores fortunam fingunt.*

Quod autem præcesserat:

Is est immunis, cui nihil est, qui munus fungatur suum,

quisnam ex illâ Isidori definitione interpretandum non videt? referentis

lib.

lib. Orig. XIV. *Amœna loca Verrius Flaccus dicta ait, quod sine munere sint, nec quicquam in his officij, quasi Amunia, id est, sine fructu, unde nullus fructus exsoluitur. Inde etiam, nihil præstantes, Immunes vocantur.* Et hoc Interpreti prætermissum, haud abs re visum huc apponere.

Concludit tandem Lysiteles patris benignitatem in se prædicans, eique hâc breuissimâ laudatione quasi gratias agens:

LY. *Lepidus viuis.* id est, es lepidus, præbesque te, erga me filium tuum, & commodum & lenem patrem. estque ἀρχαϊσμός, quo vsus & Catullus noster:

At tu insulsa, mala, ac molesta viuis.

Adde alterum quoque à Plauto exemplum de Amphitruone; in cuius Prologo ad Quirites Mercurius:

Virtute dixit vos victores viuere.

AD

AD TRINVMMVM.

CAPVT XXIII.

Trinummus aliquammultis locis emaculata, illustrata.

SCENA: *Minus quindecim dies, &c.* Nam quid obſecro loquutionis eſt illud; *——Confit cito,*

Quàm ſi tu obiicias formicis papauerem.

Nonius certè hunc verſum longè aliter adductum citat, & fortaſſe haud paullò emendatius, quàm in Plautinis Editionibus hodie volgatur: Itaque eſt apud illum:

Quaſi obiicias formicis papauerem.

niſi ſi fortè legendum ſit:

Quaſi tu obiicias formicis papauerem.

vt & noſtris exemplaribus aliquantum tribuamus. quod eò mihi fit veriſimilius, quòd videam pleraque veterum teſtimonia perperam haud rarò à Grammaticis, & tranſpoſitis verbis laudari. exemplo credo Nonij, cui parum fuit, quòd hunc Plauti verſum inuerſo (vt dixi) verborum ordine adduxerit, niſi etiam inſuper de Trinummo

in Aſinariam transferret, haud minus diſſimiles inter ſe, quàm Lais & Hermione apud Celtiberum Poëtam noſtrum. Quæ res Ioachimum Camerarium (at quem virum?) in multò maiorem etiam fraudem induxit, qui memoriâ lapſus, quum exemplum, quod propoſui, in tota Aſinariâ non reperitaret, illud de Aſinariâ Pomponij, (cuius item commeminit Nonius) deſcriptum iudicauit. Vt vt eſt, *Quam ſi* iſtud induci debet, vt quod penitus ſententiam perturbat, atque in eiuſce locum, vicarium illud, *Quaſi*, ex Nonio reſtituendum: aut *Cito*, pro *Citius* interpretandum, vt poſitiuum hoc loco comparatiui vicem præſtare dicamus.

Ait mox ibidem Philto:

Pater cùm peregrè veniet, in portâ eſt locus.

Lego ac diſtinguo:

Patri, cum peregrè veniet, in portâ eſt locus.

Habes deinceps:

Qua ſponſione pronuper tu exactus es.

Sed quidnam obſecro eſt: *Pronuper*? non nauci iſtuc quidem, niſi in duas voces diſparetur hoc modo: *Pro nuper*, vt poſt-

vt postposita sit Præpositio, primo alioqui loco secundum constructionis ordinem conloçanda, vt sit sensus: *Prò quâ sponsione ipse flagitatus atque exactus es nuper.* Sequitur:

LE. *Factum.* ST. *Vt quidem illud perierit.*
LE. *Factum id quoque est.*
Nam nunc (al. *Tunc*) *eum vidi miserum, & me eius miseritum est.*

Ex quo responso apparet Lesbonicum longè aliter accepisse dictum Stasimi,& proinde ac si Seruus suus dixisset: *Vt quidem ille* (scilicet,adolescēs) prò quo spoponderas,perierit. Pergatur:

Tribus tantis illi minus reddit, quàm obsueris.

Illi, pro *Illic* positū accipio, non (quod Lambinus subintelligit) Lesbonico. Neq; verò loquutionis eius raritatem, (*Tribus tantis* inquio) sepelibilem fieri est æquum,quam etiam in Bacchidibus est arbitrari, vt:

Sexcenta tanta reddam, si viuo, tibi.

Illud porrò ab improbâ interpunctione laborare videmus:

Tum autem Syrorum genus, quod patientissimum est
Hominum,nemo exstat, qui ibi sex menses vixerit.

m 2 D.stin-

Diſtinguendum enim:

Tum autem Syrorum, genus quod patientiſſimum eſt:

Hominum, nemo exſtat, &c.

Atque hoc ad pathicum morbum potius, quàm ad laborum tolerantiam referundum: vti rectè aduerſum à Lambino.

Ibit iſtac aliquo in maximam malam crucem

Latrocinatum aut in Aſiam, aut in Ciliciam.

Latrocinatum, pro militatum, vti dictum eſt prius. Cæterùm videtur, *Iſtinc*, pro *Hinc* potius, quàm *Iſtâc* in Trinummo ſcribendum.

AD TRINVMMVM.

CAPVT XXIV.

Plautus ternis locis emendatus; item Curtius ſemel.

SCENA inſequenti nimis probatæ hercule acrimoniæ ſententia illa, quippe mihi ipſi quoque præſentibus experimentis veræ cognitæ non ſemel:

Nimium difficile eſt reperiri amicum, ita vti nomen cluit,

Cui tuam quum rem credideris, sine omni cura dormias.

In quâ illud vtique bellissimum: *Ita vti nomen cluet.* Quod quid sit, declarat nobis ipsus in Bacchidibus suis verbo aliquanto tritiore, vbi verum ac legitimum amicum circumscribens ait:

Homini amico, qui amicus est, ita vti nomen possidet,

id est, Cuius opera & facta respondent nomini, & qui (proinde vt Flaccus autumat) *Id curat esse, quod audit,* nimirum amicus, haud quidem consiliarius, verùm ferentarius maximè, hoc est, reapse, non logis iuuans, vbi re est opus. Scenâ deincipe:

Atque ego istum agrum tibi relinqui ob eam rem enixè expeto,

Vt tibi sit, qui te corrigere possit.

Corrigendum autumo:

Vt tibi sit, quî te corrigere possis.

vt τὸ *Quî*, ablatiui vicem sustineat: hoc enim efficacius, quàm vt cum Lambino ad *Agrum* referendum perperam opinemur.

Et illud integrare iampridem cupido est mihi, vel impetus potius:

Tum igitur tibi aqua erit cupido, genus qui restinguas tuum.

Puto enim patrio casu rescribendū: *Aquæ*. Sic enim in Heroidib. Naso:

Sæpe venenorum sitis est mihi:

id est, cupido (quomodo hic noster loquitur) id potionis sumendæ, quod te nunquam transeat.

Sub eiusdem Scenæ finem hæc ex personâ Stasimi pronūciata habemus:

Non sisti potest.
Video caculam militarem me futurum, aut longius,
Aut aliquem ad Regem in saginam herus se conjecerit meus.

Quæ si ab aliis satis intelligantur, haud equidem scio; nisi (vt meus est animus) fieri vix posse arbitror. Ita partes eorū deformatas intelligo. Sed quid si porrò ad consueta nobis remedia confugiamus, easdemque restituamus hoc modo sanitati?

Video caculam militarem me futurum haud longius,
Aut aliquem ad regem in sagenam herus se coniecerit meus.

Haud longius, id est, video propediem breuique

breuiq́ue oppidò futurum, militaris cacula vt fiam. Cuius ſententiæ elegantiam literæ vnius (vt vides) ſuppoſitio vitiauerat vſque adhuc. Quod incommodum, ob vicinitatem credo, ſenſit etiam verſus qui ſequitur. Illuc enim prò *Sagina*, *Sagenam* cum Lambino induximus, quæ propriè retis genus eſt, quo piſces è naſsâ auferuntur; aut retis ſinus, vnde exire nequeunt. tralatione vtique manifeſtâ, quæq́ue grauiſſimorum adeò Poëtarum auctoritate aſtrui atque probari poteſt: primùm Plauti ipſius, tum verò & Lucretij, quorum alter in hac ipsâ Comœdiâ:

Nunquam
Amor quenquam niſi cupidum hominem poſtulat ſe in plagas
Coniicere.

Lucretius verò ſub finem libri IV. huncce in modum:

Nam vitare, plagas in amoris ne iaciamur.

Sic enim inibi retinendum ex loco Plauti, quem dixi, ſuo loco docebimus contrà opinionem Lambini. Quod ſi quis *Saginam* tamen *Sagenæ* anteponẽdam potius cenſuerit hoc loco,

 haud

haud magnopere pertendam : præsertim qui cum lectione istâ proletariâ Propertium meum conspirare meminerim, quum scribit :

Qui dabit immundæ venalia fata saginæ,
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.

Cuius adeò exempli occasione admonitus, haud alienum facturus videor, si locum quendam Curtianum fædissimi mendi contage liberauero. Legitur is lib. IX. huiusmodi :

Intererat epulis Dioxippus *Atheniensis, pugil nobilis, & ob eximiam virtutem virium* Re*gi pernotus & gratus. Inuidi malignique increpabant per seria & ludum saginati corporis sequi inutilem belluam.*

Quo loco, *Saginam*, rescribendum, Historici illius Editores, vel mussantibus nobis, ipsius sententiæ ratio commonefactare debuerat.

AD TRINVMMVM.

CAPVT XXV.

Plauti Trinummus paßim correcta, declarata, illustrata.

LEGITVR Scenâ ab hinc proximâ:

Ignota facies, quæ non vsitata sit,

Ità enim potius duco cum Camerario, quàm cum Lambino,

Ignota facies atque inusitata sit, lectitare.

Consimile est huic illud è Pseudolo:

Atque eum, qui non hîc vsitatus sæpe sit.

Idem quoque apud Appuleium reperias lib. 1. Floridor.

Frequentiam tantam, quanta ante me in auditorio Philosophi numquam vsitata est.

Quanquam & hic, & inibi, *Visitata*, hoc est, crebrò & frequenter visa haud inconcinnè etiam legi possit. quâ phrasi alibi idẽ Appuleius vsus aliquoties. vtitur & Poëta noster ad hoc exemplum in Persa:

Mihi quidem tu iam eras mortuus, quia te non visitaui.

Quod tamen hoc loco ſimpliciter potius, quàm frequentatiuè accipiendum videtur.

Addam & alteram à me penſiorem haud paullò emendatiunculam in Scenâ illâ longiore, quâ datatim inter ſe ludos faciunt Charmides & Sycophanta. nam vbi legitur:

Ego ſum Charmides.

SY. *Neque ædepol tu is es, neque hodie is vnquam eris auro huic quidem.*

audacter quamuis prædico, poſtremas tres dictiunculas ex auro præpoſterè in carbones degeneraſſe, eorum hominum (opinor) comitate qui ſententiam in plano ſitam, fecerunt vt difficilis foret, incuriâ maximè & ignorantiâ, peſſimis conſultoribus vſi, an abuſi verius. quibus tandem effectum, vt voces quatuor ex confuſo proletariæ ſcripturæ compendio, in numerum trium coartatæ, & quaſi in anguſtum contractæ appareant. quas vti rurſus in priſtinas ſedes ſuas reducere inſiſtam, haud dubitabo ſcribere:

Neque hodie is vnquam eris, aurum hoc cuidem.

Notan-

Notandum & illud Scenæ Succidaneæ:

Vetera quærit, vetera amare hunc morem maiorum ſcias.

In cuius enarratione immane, quibus & quantis ærumnis deluctauerit Lambinus noſter. Atqui omnia in procliui futura, ſi quidem noſtræ coniecturæ vel per ſomnium illi in mentem veniſſet modò; hacce formulâ conceptæ:

Vetera amare hunc, more maiorum, ſcias.

Legitur porrò ibidem:

Strennuos prætertire more ſit.

Et rectè vtique. dixerat enim anteà:

Petere honorem pro flagitio more ſit.

Quod eò viſum eſt addere, quòd hunc locum non bene à Camerario acceptum animaduortam: qui, *Ignauos*, deſiderari putauit. quòd quantum à verâ ratione tum ſententiâ Poëtæ noſtri remotum ſiet, iis examinandum relinquo, qui Feſtum legerint modo, vbi de *Prateritis Senatoribus* agit. Hoc enim eſt illud, quod queritur Staſimus iſte Plautinus, more ſcilicet & conſuetudine fieri, vt ſtrennui prætereantur

tereantur, atq; ab improbiſſimo quoque in honoribus publicitus petendis victi diſcedant, locoq́ue moueantur. quod quidem id temporis ignominioſum cumprimis habebatur.

Adeas licebit (vt dixi) Feſtum. Ait inibi ſub finem Charmides ſenex:

Propter eoſdem, quorum cauſſâ fui hac ætate exercitus.

Cæterùm in Nonio, huiuſdem exempli laudatore, *Hoc ætate*, legitur. Vnde leuiſſimè ſuſpicor, fortè à Plauto ſcriptum: *Hoc ætatis*, id eſt, ætate ità pol præcipiti, atque effætâ. Vt. *Hoc noctis*, pro, Nocte tam ſerâ, ſiue intempeſtâ; in Amphitruone, item Curculione, explicauimus anteà.

Illud autem Actûs III. Scenæ II. ad Lyſitelis obiecta ex Lesbonici perſonâ reſponſum:

LE. *Facile eſt inuentu; datur ignis, tametſi ab inimicis petas.*

ad Parœmiam trahendum, quâ vulgò dictitare conſuemus:

Alterâ manu fert aquam, alterâ ignem.

Quamuis enim hoc dicere videatur Comicus, ignem etiam ab inimicis vtendum

vtendum quondam ſumi ſolere, ad frigus defendendum ſcilicet; aliud diſſimulanter innuit tamen; nimirum, ſi quis rei iratus ſuæ, cum Venere illâ Tibullianâ, meſſes priuas combuſtum ire ſe poſtulet, ei porrò homini vſtrinæ iſtiuſmodi concinnandæ materiã nullo vnquam tẽpore defuturam; etiamſi mutuò illa vel ab inimiciſſimis petenda. à quibus quid mirum, ſi ardor iſte Vulcanius impetratu facillimus, quem hoc genus manu promptum geſtitat aſſiduè; ob cauſſam, quam expoſui: non item aqua; quî incendium reſtinguas? Et hæc eſt germana paradoxæ huius ſententiæ declaratio; quâ me oculis tuis, Lector, fumum iam omnem diſpuliſſe perſuadeo mihi; quem mehercle multò maximum & grauiſſimum ex igne iſto minus cautè tractato, nobis concinnauerant Interpretes. quod multotiens iam anteà in Plauto patratum, ſuis paſſim locis planiſſimè nos commonſtraſſe; etiam ſuccidaneo hocce exemplo planius inſuper commonſtraſſere, eſt confidentia. Rem vide: * CH. *Huic quiſquis eſt,*

*Act. IV. Scen. III. Curculio.

Curculio est exercitor. is hunc hominem cursuram docet.

Vbi quantopere *Curculio* iste Alciatum, Lambinum, alios exercitos frustrà habuerit, superuacuum arbitror commemorare; reapte ostendere contentus, *Curculionem* hoc loco, haud quidem prò vermiculo improbissimo illo triticei farris populatore, sed verò pro eâ gutturis parte, quâ λαρύγξ eminet, quam inter comedendum moueri cernimus, interpretandum; siue prò gulâ ipsâ potius; vt *Gurgulio* fiat scilicet. In quo gratiam dicto insuper (vt vides) conciliat ἀμφιβολία; præter duo ista, quæ proposui modò, etiam ad Plautinam Fabulam illam accõmodari idonea; in quâ Parasitus Curculio consimiliter sese ad cursuram exercens inducitur; quò tametsi obliquè allusisse videri possit Charmides, diuersum tamen volt intelligi, senili parcimoniâ serui sui edacitatem sugillans, cui agitator atq; exercitor *gurgulio*, id est, gula, siue adeo pars illa, per quam in ventrem descendit cibus.

Addam & aliud, Ciceroni (vt spero) de Plauti

de Plauti Trinummo gratificaturus;de quo ne per somnium quidem in mentem venit Tulliastris istis. Scribit proinde ille libro ad Atticum XII. Epist. XXXIIX. de Q. Fratris Filij maledictis atque iniuriis sic quasi ἐν αἰνίγμασι stomachosè conquerens:

Sed tamen quid impurius? O hominem cauendum! quanquam mihi quidem. Sed tenendus dolor est.

Vbi vocibus illis, *Quanquam mihi quidem*; ἀποσιώπησιν subesse, iuxtà mecum vident ac sentiunt quantum est literatorum; cæterum sententiæ commodè vel explendæ, vel explicandæ, ne Bosianum quidem acumen collineasse videtur satis. Hanc enim ille Ciceronis mentem fuisse hariolabundus coniicit: *Quanquam mihi quidem, scilicet, iampridem satis ab illo cautum est, ità vt nunc obesse mihi nequeat.*

Ingeniosè, fateor: sed nihil ad Tulliani stomachi explementum: quod quidem ego haud aliunde cōmodius, quàm de hoc Trinummi versu, ex personâ Senis filium paternè increpantis prolato arcessi posse iudico:

Mibi

Mihi quidem ætas acta est fermè, tuâ istuc refert maximè.

eò fidentius, quòd exemplum hoc ipsum, & quidem integrum, à Cicerone iteratum Libro Epistolarum ad M. Brutum,* his verbis:

*Epist. 11

Sed de hoc tu videris. De me possum idem, quod Plautinus pater in Trinummo: Mihi quidem ætas acta fermè est, &c.

Illud etiam oscitanter prætereundum non erit, *Pudicum* in Trinummo, (quomodo & in Persâ) pro Pudente & verecundo positum illo versu:

Is est honos homini pudico meminisse officium suum.

Quod ne & ipsus quoque oblitus videar hoc loco; plausu prius (vt par est) huicce Comœdiæ postulato ad Truculentum (si potest) molliendum in tempore me conferam.

FINIS.





